I
36.15.B.16

Digitized by Google

36·15 B·16

DISPVTATIO IN CAP· SEXTVM SANCTI IOANNIS

PER DIDACVM DEL CASTILLO
SALMANTICENSEM MAGISTRVM
in Theologia, Canonicum Eccleſiæ·
Cathedralis Palentinæ.

AD SANCTISS.^mum D. N. CLEmentem VIII. Pontificem Maximum benefactorem.



ORD. PRAED.

PERMISSV SVPERIORVM.

ROMAE, Apud Aloyſium Zannettum.
M. D. XCIII.

BEATISSIMO PATRI CLEMENTI VIII.

DIDACVS DEL CASTILLO.

CVM Annis elapſis B.P. in numerum Conſultorum Sacræ Congregationis Indicis fuiſſem adſcriptus, ea mihi cura demandata fuit, vt doctiſsimi Viri Cornelij Ianſenij concordiam in quattuor Euangelia attentamente conſiderarem atque euoluerem. Et licet aliqua ibi à me animaduerſa ſint, quæ à tanto viro meritò excidiſſe viderentur; tamen cum perueni ad Caput Sextum S. Ioannis, non potui me contine-

*tinere quin ab ipſo & alijs, quos inueni, au-
ctoribus omnino diſcederem, qui contra Con
ciliorum expoſitionem, Sanctorum Patrum
decreta, & omnium fere Doctorum commu
nem ſententiam (qui omnes ſecundam par-
tem iſtius capitis, in qua cum Capharnaitis
à Chriſto Domino ſermo habitus eſt de Sā-
ctiſs. Euchariſtiæ Sacramēto, eiuſq. reali mā
ducatione, ſecundum ſenſum litteræ conſoniū
declarant) manducationem ſpiritualem per
fidem in Chriſtum pro nobis crucifixum &
paſſum ſtatuere exiſtimarunt; de qua totus
ille S. Ioannis contextus intelligatur. Quod
quātum à veritate ipſa diſſonum ſit ex iſtius
controuerſiæ progreſſu conſtare facile pote-
rit. Sed ne multum mihi in hac re tribuere
videar, B. P. libenter fateor me id ſolum in
medium afferre ad conuincendos iſtos Do-
ctores, quod ex varia Conciliorum diſpoſi-
tione, Sanctorum Patrum monumētis, alio-
rumq. grauiſſimorum Doctorum lectione,
colligere potui, illorum fere ſemper propria*

ver-

verba, & ſententias afferens, vt non egomet rudi, hebetiq. ingenio præditus, ſed Sanctiſsimi Patres & doctiſsimi Viri contra ipſos diſputationem hanc inſtituere videantur. Fuit autem ſtatim in animo meo Sanctitati Veſtræ hos meos labores conſecrare, quem cum primum Romã appuli ſingulari ſtudio & reuerentia ſum proſequutus, & vt aſſolent, qui in Curia degunt, præclarum duxi, dum Veſtra Sanctitas Cardinalatus fungeretur honore, aliquod ei ſeruitutis officium exhibere. Nunc autem in excelſo iſto dignitatis gradu, quaſi indignus, qui coram Veſtro Sancto conſpectu prodirem, ſilui & tacui, hac vna re contentus, quod aliquando mihi licuit Sanctiſsimos Veſtros oſculari pedes. Deprecari tamen non deſinam Veſtram Beatitudinem, vt benignitate & clementia, quæ illi eſt innata, hoc exiguum munus mearum lucubrationum ſuſcipiat, vt tanto patrocinio magnum aſſumens incrementum ad Dei gloriam aliquam Reipub.

Chri-

Chriſtianæ afferat vtilitatem. Meum autem erit ſemper diuinam Maieſtatem precibus interpellare, vt Veſtram Beatitudinem incolumem ſeruet, ſuoq. diuino ſpiritu infuſo tanti Principis, & ſupremi Paſtoris cor illuminet, vt Eccleſia Sancta aptiſsime gubernetur, & fidelis populus multis annis tanto Pontifice potitus incredibili alacritate in Domino lætetur. Quod fiat fiat. Amen.

AD LECTOREM
DIDACVS DEL CASTILLO CANONICVS ECCLESIAE CATHEDRALIS PALENTINÆ.

TOTA iſta Diſputatio, candide lector, vnica quæſtione continetur quam in viginti quattuor Capita diuidendam eſſe duximus, vt faciliori modo, quæ hic tractantur, perſpici poſſint: & ne moleſtia beneuolus lector legendo afficiatur. Sed ſi velis totius quæſtionis ordinem & dependētiam vnius ab alio, rerumq. connexionem conſiderare: ita hāc legas obſecro diſputationem, ac ſi non eſſet in capita diſtincta. Nam nos ne in procemijs faciendis in principio cuiuslibet capitis tempus terere videremur, idque ſine aliqua vtilitate; ita in capita opus hoc diſtribuen-

buendum eſſe exiſtimauimus, vt tamen vnicam tantum ordinatam efficeret quæſtionem. Noſtro ergo iſto exiguo munere fruere, & bene vale. Calendis Martij.

Legi totam hanc diſputationem in 6. caput Ioannis editam à Didaco del Caſtillo Magiſtro in Theologia Canonico Eccleſiæ Cathedralis Palentinæ, nihil in ea inueni quod vel fidei vel rectis moribus repugnet. Ex Collegio Romano Societatis Ieſu 25. die Februarij anno Domini 1593.

Ioannes Azor.

Imprimatur.

M. Antonius Soræ Epiſc. Viceſgerens.

Fr. Bartholomæus de Miranda Sacri Palatij Magiſter.

INDEX CAPITVM QVAE IN HAC DISPVTATIONE CONTINENTVR.

IN principio ponitur titulus huius controuerſiæ, & agitur de diuiſione & argumento cap. 6. S. Ioannis & explicatur quæ ſit intentio auctoris in hac diſputatione. Caput I. pagina 1

Declaratur, quid ſit manducatio ſpiritualis, & quid ſacramentalis, & ſimul etiam explicatur titulus quæſtionis, & ſenſus huius diſputationis. Cap. II. pag. 5

Ponuntur diuerſæ opiniones circa explicationem ſecundæ partis c. 6. S. Ioannis, & commendatur inter illas ſententia ſapientiſsimi Patris Franciſci Toleti, qui aſſerit totam ſecundam partem illius Capitis debere intelligi de manducatione Sacramentali, vel de præparatione, quæ requiritur ad ipſam. Cap. III. pag. 14

Ponitur ſententia aduerſariorum tenentium ſecundam partem c. 6. S. Ioannis debere ſolum intelligi de manducatione per fidem in Chriſtum Crucifixum, & paſſum, & multis argumentis comprobatur. Cap. IIII. pag. 23

Alia aduerſariorum argumenta adducuntur, & præcipuæ multæ ſententiæ Sanctorum Patrum, quæ pro ipſis facere videntur. Cap. V. pag. 36

Vera ſententia circa interpretationem c. 6. S. Ioannis in 2. parte comprobatur inprimis auctoritatibus conciliorum Cap. VI. pag. 41

Eadem ſententia comprobatur ex Cathechiſmo Romano Pij V. Pont. Maximi iuſſu edito. Caput VII. pag. 47

Ex

Ex ſanctorum patrum ſententijs probatur explicatio ſecundæ partis 6. c. S. Ioannis, de manducatione Sacramentali. Cap. VIII. pag. 52

Alijs etiam adductis Sanctorum Patrum teſtimonijs eadem ſententia declaratur. C. IX. pag. 60

Adhuc ex S. Auguſtino, & alijs SS. Patribus oſtẽditur ſecundam partem c. 6. S. Ioannis debere intelligi de Sacramento Euchariſtiæ, & de manducatione Sacramentali. Cap. X. pag 72

In generali citantur varij patres, & Doctores grauiſsimi, qui ſemper explicuerunt ſententiam ſecundæ partis c. 6. S. Ioannis de Sacramento Euchariſtiæ, & de manducatione Sacramentali. Cap. XI. pag. 93

Ponuntur ſeptem rationes cum ſuis confirmationibus ad idem probandum. Cap. XII. pag. 100

Adhuc decẽ validiſsimis rationibus oſtenditur ſecundam partem c. 6. debere explicari de manducatione Sacramentali. Cap. XIII. pag. 109

Iam Reſpondetur ad argumenta adducta pro parte contraria, & peculiariter ad primum & ſecundum argumentum reſpondetur. Caput XIIII. pag. 121

Reſpondetur ad tertium argumentum & explicatur illa ſententia Saluatoris: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam, cuius occaſione tractatur de manducatione Sacramentali ſub vtraque ſpecie, & oſtenditur, quibus præcipiatur. Cap. XV. pag. 132

Tractatur de manducatione ſub vna tantum ſpecie laicis, & clericis non conficientibus neceſſaria. Cap. XVI. pag. 153

Multis figuris ſacræ Scripturæ (videlicet ligni vitæ Agni Paſchalis, Manna, panis, propoſitionis) communio ſub vna tantum panis ſpecie oſtenditur. Cap. XVII. pag. 165

Adhuc comprobatur vnius ſpeciei communio ex antiqua conſuetudine, idque aliquibus exemplis declaratur. Cap. XVIII. pag. 170

Ex di-

Ex dictis in Capitibus præcedentibus comprobatur communionem ſub vtraq. ſpecie non eſſe de Iure diuino præceptam, neque id colligi ex iſta ſententia S. Ioannis c. 6. Cap. XIX. pag. 176

Ad confirmationem tertij Argumenti reſpondetur, & ſimul explicatur, quo modo verificetur in paruulis non habentibus vſum rationis illa domini ſententia: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam. Cap. XX. pag. 183

Oſtenditur, qua ratione pueris ſit interdicta ſuſceptio realis ſanctiſsimi Sacramenti Euchariſtiæ, & ſimul aliæ difficultates enodantur. Caput XXI. pag. 200

Ad alia argumẽta aduerſariorum in principio diſputationis adducta reſpõdetur. C. XXII. p. 211

Ad auctoritates, quæ pro ſe afferebant aduerſarij ex Sancto Auguſtino, & alijs Patribus reſpondetur. Cap. XXIII. pag. 223

Con-

Confutatur ſententia illorum, qui dicunt patres explicantes caput 6. Sancti Ioannis de manducatione Sacramentali debere intelligi per quandam accommodationem, & ſimul ad alia argumenta aduerſariorũ reſpondetur, quibus finitur tota hæc diſputatio. C. XXIIII. p. 233

DISPUTATIO

INCEPTIVA

[illegible]

96 K B 16

DISPVTATIO IN CAP. SEXTVM S. IOANNIS.

AN IN SECVNDA PARTE huius Capitis VI. dum Chriſtus Dominus dicitur panis, ſeq. ipſum daturum in cibum & potum pollicetur, loquatur de Sanctiſsimo Sacramento Euchariſtiæ, & manducatione Sacramentali: an vero de ſpirituali, quæ eſt per fidem in ipſum Chriſtum paſſum.

IN PRINCIPIO PONITVR Titulus huius controuerſiæ, & agitur de diuiſione, & argumento Cap. 6. S. Ioannis, & explicatur, quæ ſit intentio auctoris in hac Diſputatione. Cap. I.

ANTEQVAM præſentem diſputationem aggrediamur, aliqua ſunt prænotanda, pro intelligentia eorum, quæ dicenda ſunt, vt, quis ſit ſco-

pus huius diſputationis, quæve noſtra in hac controuerſia intentio, & finis facile cognoſci poſſit.

Et primum à diuiſione oportet exordiri, vt intelligatur; quid ſit id, de quo diſputetur. Pro quo primo Not. eſt, quod hoc caput S. Ioan. duas continet partes principales. In priori parte duo narrantur miracula; vnum de multiplicatione quinque panum, alterum de ſedatione tempeſtatis in Mari Tyberiadis: in poſteriori vero parte ex occaſione miraculi multiplicationis panum, Chriſtus diuiniſſimum inſtituit ſermonem, licet obſcuriſſimum, de manducatione carnis ſuæ & potatione ſacratiſſimi Sanguinis.

Quia igitur intentio noſtra non eſt litteræ interpretationem aggredi, quæ à doctiſſimis Viris ſummo ingenio, & induſtria, altiſſimis editis in lucem Commentarijs, illuſtrata eſt: nec etiam priorem partem huius capitis diſputationibus declarare; circa poſteriorem capitis

partem, tota noſtra controuerſia, & difficultas verſabitur, propter aliquos auctores meo iudicio perperam interpretantes S. Ioannem, & aſſerentes in tota iſta poſteriori parte capitis, dum loquitur de manducatione carnis, & ſanguinis, ipſum agere de manducatione ſpirituali, quæ fit per fidem: nullo autem modo de Sacramentali manducatione, quæ fit in Euchariſtiæ Sacramento.

Sed vt hæc, quæ dicturi ſumus, magis pateant, breuiter declarabimus, quid ſit huius ſecundæ partis Capitis 6. argumentum.

Pro quo Not. eſt. Quod in hac parte ſecunda huius 6. Capitis, ſermo à Chriſto Domino habitus eſt cum Iudæis Capharnaitis, de manducatione carnis, & ſanguinis ſui in Synagoga Vrbis Capharnaum, quæ adiacebat Mari Tyberiadis. nam cum numeroſa turba, propter illius miraculum multiplicationis panum, ad eum confluerer, cupiens amplius paſci,

& ſatiari ab ipſo pane corporali: voluit Chriſtus Dominus eos arcere ab iſta auiditate cibi corporalis, & eos inflamare ad amorem cibi ſpiritualis, de quo inſtituit habere hunc ſermonem. Aderant nō ſolum multi ex plebe, ſed etiam viri docti, & periti ſacrarum litterarum. quod ex eo patet, quod Chriſtum concionantem Iudæi interpellarunt, obijcientes aliquot ſcripturæ loca, & cū ipſo altercantes. Erant etiā præſentes duodecim Apoſtoli: quod ex eo conſtat, quod Chriſtus in fine Sermonis ait: Non ego vos duodecim elegi. Fuit etiam huiuſmodi concio habita coram alijs diſcipulis, & ſectatoribus Chriſti. Siquidem Ioan. narrat multos diſcipulos offenſos Chriſti ſermone, abijſſe retro, id eſt à Chriſto diſceſſiſſe. Iſte autem ſermo admirabilis Chriſti, tanquàm diuinū ſemen, aliud cecidit ſupra petrā, & ita Iudæi adeo fuerūt ſcandalizati ſumpta occaſione ex hoc ſermone, vt vehementius quam antea, à

Chriſto fuerint animis auerſi: multi etiã ex diſcipulis deceſſerunt: Aliud vero ceci dit in terram bonam, & fecit fructum centuplum. Nam Apoſtoli Sancti magis fuerunt hoc diuino ſermone confirmati, Chriſtiq. amore incenſi. Recedentibus enim aliis, cum Chriſtus ab ipſis interrogaret, an vellent & ipſi abire, Petrus omnium nomine reſpondit: Domine quo
" ibimus? Verba enim vitæ æternæ habes. *Ioan.6.*
" Nos cognoſcimus & credimus, quia tu es filius Dei.

QVID SIT MANDVCATIO ſpiritualis, & quid ſacramentalis: & ſimul etiam explicatur titulus quæſtionis, & ſenſus huius diſputationis. Cap. II.

EST ſecundo animaduertendum, quod duobus modis poſſumus conſiderare Chriſtum eſſe cibum, ac potum, videlicet ſecundum modum, quo

Chriſtum Dominum poſſumus participare. quod vno modo fieri poteſt ſecundum virtutem, quando eius nobis effe-ctus communicatur: qua ratione qui credunt in eo fide perfecta, & viua, ipſum dicuntur manducare: & hac ratione Chriſtus eis dicitur eſſe cibus, quia virtus eius in eis demonſtratur, cum illis Chriſtus infundit gratiam, remittit peccata, & impartitur dona ſpiritus; ſiue hoc fiat quantum ad principium iſtorum cœleſtium bonorum, vt facile conſtat in his, qui à peccato conuertuntur; ſiue quantum ad ipſorum augumentum, vt in his, qui iam conuerſi, ab eodem ſpiritus perfectionē augumentumq. ſuſcipiunt: qua etiam ratione qui credit fide viua in Chriſti humanitatem, pro nobis in Crucē traditam, & paſſam, dicitur ſpiritualiter Chriſtum manducare. Et huius manducationis ſpiritualis meminit Paulus: Omnes eandē
1.*Cor.*8. eſcā ſpiritualē manducauerunt & eundem potum ſpiritualem biberunt.

Sed ſupra dicto modo Chriſtus Dominus potus, & cibus dicitur per metaphoram, & ſimilitudinem. Sicut enim cibus, & potus corporalis corpus reficit, confortat, & recreat; ita cibus, & potus iſte ſpiritualis animam. In hoc autem à corporali, & materiali cibo differt, quod iſte ſpiritualis mortuis per peccatum vitam tribuere poteſt, quod corporales cibi non faciunt. Non enim poſſunt mortui per quodcunque alimentum corporale ad vitam reuocari naturaliter.

Vt autem iſte modus manducandi ſpiritualiter magis declaretur, notandum etiam eſt, quod non ſolum Chriſtus cibus, & panis dicitur; ſed etiam multiplex eſt cibus, & panis animæ cœleſtis, & ſpiritualis in ſcripturis ſignificatus. Nam primũ ipſa diuinitas dicitur panis. Pſal. enim 77. quando dicitur, Panem Angelorum manducauit homo: illud intelligitur de manducatione, quæ habetur per diuinam viſionem; hoc eſt per cla-

ram viſionem, & fruitionem ipſius diui-
nitatis in patria, qua Angeli iam fruun-
tur, & nobis etiam promittitur à Chri-
Lucæ 22. ſto Domino, quando dicit: Ego diſpo-
" no vobis regnum, vt edatis, & bibatis ſu-
" per menſam meam in regno meo, con-
uiuentes cum ipſo Chriſto, Patri, & Spi-
ritui ſancto, videntes ipſum facie ad fa-
ciem, & diligentes ſuper omnia, & ipſis
Pſal. 19. fruentes. Quare dicitur: Satiabor cum
" apparuerit gloria tua. Eſt & ipſa diuina
Sapientia, ſcriptura Canonica, ac Ver-
bum Dei panis animæ, de quo Sapien-
Eccleſiaſt. 25. " tia: Cibauit illum pane vitæ, & intellectus.
Eſt & panis gratiæ cœleſtis, virtutum,
& bonarum operationum, vnde dicitur:
Math. 5. Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.
" Et ſecura mens dicitur, quaſi iuge con-
Prou. 15. uiuium. Et viro iuſto ſecundum my-
Pſal. 27. ſticum intellectum dicitur: Labores
" manuum tuarum quia manducabis.
Eſt & panis piarum lachrymarum:
Pſal. 79. Cibabis, inquit, nos pane lachrymarum.

Et deuotorum etiam orationem, quibus ,, ſingulari ratione mens hominis alitur, & confirmatur. Cæterum bene, & peculiariter Chriſtus in hoc ſenſu, & eius caro panis dicitur,& cibus; quod ſine fide viua in Chriſtum e cœlo deſcendentem, & pro nobis paſſum in Cruce nihil reliquorum omnium mentem hominis paſcere poſſit, ſed mentem hominis relinquit ieiunam,& languidam. Nā & Iudæi ipſum creatorem cœli & terræ colunt, legunt eaſdem ſcripturas, quas nos, aſſiduis precibus Deum interpellant: verum quoniam deeſt illis fides in Chriſtum,nihil eſurientem illorum animam ſatiare poteſt.

Alio modo cibus eſt Chriſtus non ſolum ſpiritualiter, & ſecundum virtutem, ſed etiam vere, & realiter. Quo modo Chriſtus Dominus miro,& ineffabili modo, ſub panis & vini ſpeciebus ſe nobis ſecundum ſuam dat & communicat ſacratiſſimam ſubſtantiam, quam mandu-

cationem ſacramentalem ſacri docto-
res vocant. Et ſecundum hanc quidem
rationem Chriſtus panis dicitur; quia nō
ſolum animam ſpiritualiter, & ſecundū
virtutem reficit; ſed etiam quia ſecundū
ſuam veram ſubſtantiam nobis commu-
nicatur ſub panis, & vini ſpeciebus con-
tentam. De qua reali manducatione præ
ter ſacros Euangeliſtas Matheum, Mar-
1. Cor. 11. cum, & Lucam loquitur Paulus: Ac-
» cipite & manducate; hoc eſt corpus
» meum.

Tertio Not. quod hæc manducatio rurſus ſubdiuiditur. nam vna eſt ſacramentalis tantum, cum Chriſtus in Sacramēto Euchariſtiæ indigne, & abſque hominis approbatione, & fructu ſuſcipitur. Eſt & alia ſacramentalis, & ſpiritualis ſimul, videlicet cum non tantum ore ſuſcipitur ſacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti; ſed cū etiam ſpiritu, & præparatione fructus illius percipiuntur intra animam. Eſt & ſpiritualis tantum,

quando hoc diuinum Sacramentum in voto ſuſcipitur, cum non poteſt vere, & realiter manducari.

Sed animaduertendum eſt, quod has duas manducationes, ſacramentalem videlicet, & ſpiritualem non ita intelligere debemus, quaſi inuicem ſeparatæ pro ſint. etenim illa, quæ ſpiritualis dicitur, eſt neceſſaria, & prodeſt, quamuis non adſit Sacramentalis: at hæc, quæ Sacramentalis dicitur, vtilis non eſt, niſi adſit ſimul ſpiritualis, quæ eſt per fidem viuã in Chriſtum crucifixum, & pro nobis paſſum. Non ergo Chriſtus ſecundum ſuam ſubſtantiam in cibum ſe nobis cõmunicat, quaſi ſine fide, & dilectione velit nos talem ſuſcipere cibum; ſed vult nos fide, & affectu, ac puritate diſponi, vt ſimul & mente, & corpore cibum hunc manducemus. Propterea Paulus „ præcipit, vt probet ſeipſum ho- „ mo, & ſic de hoc pane edat, & de ca- *1.Cor.11.* lice bibat: & quod, qui non probatus ſu- „

ſcipit, iudicium ſibi manducat; & non ad vtilitatem, ſed nocumentum ſibi ſuſcipit.

Hoc igitur ſuppoſito, pro intelligentia quæſtionis, diſputatio, & dubium propoſitum eſt; Verba Ioannis in hac ſecunda parte capitis 6. cum loquitur de Chriſto cibo, & de panis manducatione, & vini potatione, vtro ſint intelligenda modo; an ſenſu ſpirituali, & de manducatione ſpirituali tantum, an vero de reali manducatione Corporis, & Sanguinis Chriſti.

Quarto Not. eſt, quod etiam ſi ab aliquibus catholicis hæc ſecunda pars capitis de manducatione ſpirituali tantum exponatur; hæretici tamen negantes præſentiam realem Corporis Chriſti Domini in Sacramento, nihil habent cōtra nos, nec habent, quo ſe poſſint tueri ex iſto Capite VI. Ioannis; cum ex aliis locis Diuinæ Scripturæ aperte conſtet de tranſubſtantiatione, & reali Corporis

Chri-

Chriſti Domini præſentia in Sacramento; nempe ex veriſſimis teſtimonijs triũ Euangeliſtarum, & ex Paulo. Accepto enim pane dixit: Accipite,& manducate, hoc eſt corpus meum. Accepto vero vino; Bibite,hic eſt ſanguis meus. Quæ verba vniuerſalis Eccleſia, & omnes ſacri Doctores iam inde ab Apoſtolorum temporibus de hac reali manducatione, & exiſtentia corporis Chriſti in Sacramento intellexerunt. Cæterum negari non poteſt Doctores, qui hunc S. Ioannis locum explicant, de manducatione ſpirituali (præſertim dum dicit: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus) magnam ipſis hæreticis anſam præbere; vt etiam in his,& alijs apertiſſimis locis ad explicationem ſpiritualem confugiant.

1. Cor. 11.

DIVERSAE OPINIONES circa explicationē ſecundæ partis c. 6. S. Ioannis & commendatur inter illas ſententia ſapientiſsimi Patris Franciſci Toleti, quæ aſſerit totam ſecundā partem illius Capitis debere intelligi de manducatione Sacramentali, vel de præparatione, quæ requiritur ad ipſam.

Cap. III.

QVinto Not. eſt, auctores eſſe diuiſos in explicatione huius ſecundæ partis Capitis. nam quidam exiſtimant totam hanc ſecundam partē Capitis ſolum debere explicari de manducatione ſpirituali: de qua ſententia poſtea agemus, & illam comprobabimus auctoritatibus, & ratione, ac denique illam confutabimus.

Alij vero exiſtimant, quod Chriſtus partim agat de manducatione ſpirituali, & partim de ſacramentali. Qua ratio-

ne hunc diuinum ſermonem in duas diuidunt partes. In prima igitur dicunt tractari de manducatione Spirituali ab illis verbis: Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam: Vſque ad illa verba: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt. Sed in explicanda iſta manducatione ſpirituali, auctores ſunt diuiſi. nam quidam loquuntur de manducatione ſpirituali, quæ eſt per fidem abſolute, & per amorem, quo vnimur Chriſto: & ita ſenſit doctiſsimus Benedictus Pereira explicans viua voce caput iſtud. Alij vero dicunt, vt eſt Pater Rubertus Belarminus in ſuis Controuerſiis, quod loquitur S. Ioannes de fide Incarnationis, quia ſtatim dicitur: Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille. Videndus lib. 1. c. 7. de Sacramen. Euchariſtiæ in ſolutione ad tertium argumentum Zuingli. Et quod in hac parte loquatur de manducatione ſpirituali, quæ eſt per fidem viuam in Chriſtum, ſiue loquamur de fi-

de abſolute, ſiue de fide Incarnationis, patet ex multis ſententijs, quas interſerit ibi Chriſtus qualis eſt: Qui venit ad me, non eſuriet. &: Qui credit in me non ſitiet. & illa: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eũ. & illa: Ego ſum panis vitæ. qui credit in me, habet vitam æternam. In ſecunda vero parte, quæ incipit ab illis verbis: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt: Vſque ad finem Capitis, Chriſtus agit de manducatione Sacramentali, quæ fit in Euchariſtiæ Sacramento, non tamen ſine ſpirituali.

Tertia vero ſententia, quæ magis placet, eſt S. Ioannem in tota iſta ſecunda parte Capitis agere de manducatione Sacramentali, ſiue de præparatione, quæ requiritur ad ipſam Sacramentalem mãducationem. Quam ſententiam ingenioſe ſatis proſequitur doctiſſimus Pater Franciſcus Toletus Societatis IESV, Religione, & litterarum monumentis inſignis in ſuis Commẽtarijs in S. Ioannem,

vbi intendit in ſecunda parte huius ſecũdæ partis agere magis S. Ioan. de opere prærequiſito ad habendum cibum iſtum cœleſtem: at in ſecunda agere de ipſo reali cibo, ſacratiſſimo ſuo corpore, & ſanguine Chriſti. vnde in tota ſecunda parte capitis agit de illo, quod attinet ad Euchariſtiæ Sacramentum, videlicet vel de prærequiſito ad ipſam Sacramentalem manducationem, vel de ipſa reali corporis Chriſti manducatione. Qua ratione ibi ſuper illa verba: Operamini non cibum, qui perit, &c. ſic aduertit in Cõmentario, quod aliud eſt opus, ſeu opera, quæ hic a domino exiguntur: aliud vero cibus, qui promittitur. & in annotatione 13. ſuper eodem loco ſic dicit: Hic igitur eſt cibus, cui acquirendo eſt ſummum ſtudium impendendum. Verba etiam adiuncta conſonant: Hunc enim
" filium hominis ſignauit Pater, quia Deus
" eſt. Non enim erat, cur hanc humanita-
" tem ſigillatã diceret diuinitate, niſi quia

humanitatem, & carnem hanc, cibum vitæ æternæ futurum dicebat; quem effe-ctum caro nō faceret, niſi diuinitati eſſet coniuncta. Fidem autem hunc cibum non eſſe verba, quæ ſequuntur, probant:
" Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum,
" quem miſit ille. diſtinguit opus à cibo;
" diſtincta enim ſunt illa duo, Operamini
" cibum; nempe opera, & cibus. illud ad Iudæos pertinebat, nēpe Operari; & Cibus ad Chriſtum datorem. fides igitur à cibo diſtinguitur. Deinde in ſequenti Cō-mentario ſuper illa verba: Hoc eſt opus
" Dei, ſic dicit: Eſt autem hoc opus neceſ-ſarium, vt cibum carnis ſuæ accipiant, quicumque accepturi ſunt; vt ſcilicet credant in eum, tamquam Meſſiam, & filium Dei. Et ſi contextum totum perpendas, vt paulo ante dicebā, inuenies opus à cibo diſtingui. Nam turba audiuit duo, nempe Cibum vitæ æternæ, & Opus ab eis exhibendum, vt cibo fruerentur. Opus hoc ſcire petunt, vt cibū accipiant, quod

Dominus docet dicens eſſe fidem in eũ. Supereſt ergo, inquit, quod cibus diſtinctus à fide in eum credentibus ſit miniſtrandus. Hic vero cibus non eſt alius, niſi caro deifera ipſius in Sacramento, nec cibum fidem eſſe, nec Chriſtum fide creditũ. nam fides in Chriſtum opus reputatur, poſt quod cibus vitæ ſuccedit.

Et quando arguis, quod ſemper Paulus opera à fide diſtinguit, reſpondet fidem dici opus quoddam large, ſicut gratia, & gloria etiam dicuntur (ſi ſermone generali vtamur) opus Dei; quia ab ipſo efficiuntur, & donantur. at quando opera à fide diſtinguimus, legis obſeruantiam, & mandatorum impletionem, opera nuncupamus: ad quod refertur S. Auguſt. lib. 5. de predeſtinatione c. 7. Vbi dicit fidem, & opera ſic diſtingui, vt regnum Iuda, & Iſrael. Nam Iſrael etiam Iuda dicitur, quia omnes Iſraelitæ ſunt. ac ſi dicat Auguſtinus: Opus commune eſt & fidei, & alijs, quæ communiter

opera vocantur. Sed diſtinguitur fides ab operibus; quia fides eſt prima origo, & principium cæterorum. Dominus ergo hic petit fidem, non quod opera excludat, ſed quod opera nihil ad cibum obtinendum faciant, niſi fides hæc, quæ fundamentum eſt, adſit.

Sed vt eo reuertatur, vnde tota noſtra fluxit, oratio, hac vnica notatione de diſtinctione ipſius cibi ab opere, facillimo negocio intelligi poteſt contextus totius ipſius ſecundæ partis capitis, & quo modo ſemper Dominus loquatur de manducatione Sacramentali, vel de prærequiſito ad ipſam manducationem, nempe fide, quæ per dilectionem operatur: & ita facile intelliguntur illæ ſententiæ, quæ ponuntur in ſecunda parte ſecundæ partis
" huius capitis, videlicet: Ego ſum panis,
" qui de cœlo deſcendi. & illa: Ego ſum pa
" nis vitæ. & illa: Hic eſt panis, qui de cœlo
" deſcendit: vt ſi quis ex ipſo manducet, nõ
" moriatur. & illa: Ego ſum panis viuus de

cœlo deſcendens, ſi quis manducauerit ex hoc pane,viuet in æternū: In his enim ſemper loquitur Dominus de pane, & de manducatione Sacramentali. Nam non poteſt reddi ratio,cur magis in alijs, quæ ſequuntur,ſententijs,loquatur de manducatione Sacramentali, quam in his, vbi etiam loquitur de ſe pane,& de panis cœleſtis manducatione. Deinde vero ſecūdum prænotata, aliquādo Dominus etiā loquitur de opere prærequiſito ad cibū iſtum diuinum, ibi:Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum.et: Qui credit in me, habet vitam æternam. Aliquando vero loquitur de cibo ipſo magis in particulari, & tunc ait: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcēdi.& ibi:Caro mea vere eſt cibus,& ſanguis meus vere eſt potus.Et aliquando ſententias varias interſerit, vnā, quæ pertinet ad opus exhibendum, & alias,quæ ad cibum ipſum Sacramentalem, & cœleſtem.

Sed Not. eſt Verba, quæ in prima

parte capitis ponuntur vſque ad illam
„ ſententiam: Panis, quem ego dabo, caro
„ mea eſt; adiunctam ſemper habere ſpiritualem manducationem per fidem, vt credant, quod eſt opus ab eis exhibendũ: at illa poſteriora, quæ ſequuntur expreſſius, & manifeſtius, realem manducationem continent, quando dicitur: Panis,
„ quem ego dabo, caro mea eſt, &c. Prius etiam hanc eandem ſignificauit manducationem, ſed minus diſtincte, dum fidẽ in ſe ipſum ab eis poſtulabat: at in hac iã vltima parte ita diſtincte, & adeo aperte, vt ipſi intellexerint realem eius carnis manducationem, ſed myſterium ignorãtes, & nimis craſſe ſentientes, exiſtimantes ad modum carnis communis mandu-
„ candam, dixerunt; Quomodo poteſt hic
„ carnem ſuam dare ad manducandum? Et circa hoc hæc dicta ſufficiant.

Ex quo facile erit contextum S. Ioannis intelligere in hoc 6. cap. Sed quidquid ſit de his duabus ſententijs (non

enim diſputamus, an in tota ſecunda parte huius capitis loquatur de manducatione ſacramentali, an vero ab illo loco, vt dicebat ſecunda ſententia: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, &c.) pro nobis ſatis eſt, quod fere omnes Sancti, & Doctores, ſaltem ab illo loco: Panis, quem ego dabo, &c. caput iſtud S. Ioannis intelligant de manducatione ſacramentali, vt contra illos agamus, qui totum contextũ Ioannis de ſpirituali manducatione declarant, & ſic contra auctores ſecundæ ſententiæ non eſt nobis inſtituta hæc diſceptatio.

SENTENTIA ADVERSARIORUM tenentium ſecundam partem c. 6. S. Ioannis debere ſolum intelligi de manducatione per fidem in Chriſtum crucifixum, & paſſum: & multis argumenis comprobatur. Cap. IIII.

QVare tota noſtra controuerſia verſatur cum auctoribus primæ

ſententiæ, qui aſſerunt totam iſtam ſecũdam partem huius 6. Capitis eſſe intelligendam de mãducatione ſpirituali, quæ eſt in Chriſtum paſſum pro nobis, & crucifixum: quam ſententiam tenent auctores non contemnendi. In primis referam Cornelium Ianſenium virum doctiſſimum, cuius occaſione hunc laborem ſuſcepi, qui in ſua concordia, parte ſecunda, cap. 59. id expreſſe affirmat ſequutus hac in re Turrecremat. ſumma de Eccleſia, D. Caietanum Ioannis 6. & 3. parte, q. 90. art. 12. & Ricard. Tapet. ſecundo tomo Articulorum Louanienſium art. 15. & in hac videtur, ſecundum aliquos inclinare Vbaldenſis tomo ſecundo de Sacramentis, c. 92. Gabriel. lect. 84. ſuper Canon Miſſæ, & expreſſe hoc etiam affirmat Ferus, & nouiſſime Palacios in Ioannem, & alij auctores.

Pro cuius ſententiæ probatione adducam rationes aliquas, quas præcipue ex Commentariis Cornelij Ianſenij loco

ſupra citato collegimus.

Prima igitur ratio eſt, quia eſt tropus vſitatus in diuina ſcriptura, vt ſit idem bibere & manducare, quod intellectu percipere, ſiue in anima ipſa accipere; ita vt manducare & bibere, ſpiritualiter intelligatur, qua ratione de ſapientia dicitur: Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit eum. Hic enim iuſtus dicitur bibere de ſapientia; quia illius doctrinis per meditationem intra ſe acceptis paſcitur, viuit, & ſaturatur. Sic etiam caro Chriſti dicitur cibus, & potus; quia per fidem Chriſti Domini intra viſcera animi conceptam, veluti arcano modo Chriſtus inhabitet in cordibus noſtris, vt dicit S. Paulus: Eamq. mentem ſcilicet & animum ſua præſentia viuificet, & alat, omnemq. ab ea eſuriem pellat. ergo cum hæc interpretatio ſit iuxta modum loquendi diuinæ ſcripturæ, merito huiuſ-

Eccli. 24.

Eccle. 15.

Paul. ad Epheſ. 3.

modi ſententiæ in hoc capite ſexto debēt de manducatione ſpirituali, quæ fit per fidem, interpretari.

Secunda ratio eſt. Quia id aperte videtur colligi, ex ipſo contextu S. Ioannis: Nam qui manducat hunc panem, „ viuet, inquit, in æternum: conſtat autem, „ quod multi panem hunc in Sacramento Euchariſtiæ manducant, qui nunquam tamen vitæ ſpiritualis ſunt participes; ac plerique ſimul facti participes vitæ, quæ in Chriſto eſt, poſtea ab ea excidunt, & moriuntur in æternum. ergo non loquitur tantum Ioannes de manducatione Sacramentali Euchariſtiæ, cum dicat Dominus: Qui manducat hunc panem, vi- „ cturum in æternum. quod de reali & Sacramentali manducatione non poteſt verificari. ergo neceſſario eſt intelligendũ de manducatione ſpirituali.

Et confirmatur. Nam ſi de manducatione Sacramentali hæc pars ſecunda capitis intelligatur, ſequentes ſentētiæ non

erunt vniuerſaliter veræ: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. &: Qui manducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in illo.

Opus enim erit ſubintelligere digne, quod tamen non poteſt intelligi in præcedentibus ſententijs, vt cū dicit: Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Nam ſi intelligendum ſit, ſi quis digne manducauerit; iam non conſtabit differentia inter Manna, & hunc panem vitæ. Nam & Manna digne manducātes non ſunt mortui ſpiritualiter, ſecundum S. Auguſt. tract. 26. in Ioannem. Moyſes enim Ioſuæ, & Caleb Manna digne etiam commederunt. ac proinde intelligendum eſſet eum, qui indigne manducat panem vitæ in Sacramento, non vere manducare ex illo pane, quod falſiſſimum eſt. Vt igitur prædictæ ſententiæ vniuerſaliter veræ ſint, recurrendum eſt ad manduca-

tionem ſpiritualem, quæ eſt per fidem viuam in Chriſtum paſſum. qui enim ex ipſo ſic manducauerit, non morietur in æternum. ergo, &c.

Tertia. Nam ſi hæc ſecunda pars Capitis S. Ioannis intelligatur de manducatione Sacramentali, dabitur anſa Vohemis perſiſtendi in ſuo errore de communione ſub vtraque ſpecie. Dicit enim hic
" Dominus: Niſi manducaueritis carnem
" filij hominis, & biberitis eius ſanguinem,
" non habebitis vitam in vobis. Qui locus difficillime explicari poteſt, ſi de manducatione Sacramentali intelligatur; ita vt non ſignificetur neceſſitas ſumendi vtrãque ſpeciem.

Sed reſpondebis forſam carnem Chriſti Domini manducari, & ſanguinem bibi, etiam cum ſumitur ſola panis ſpecies; eo quod ſub ſpecie panis & caro, & ſanguis, hoc eſt totus Chriſtus & contineatur, & ſumatur. vnde ſicut manducãtibus panem, & bibentibus ſimul ſangui-

nem, promittitur vita æterna, ſic etiam & manducantibus panem ſolum vita æterna promittitur, ibi: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Itaque quia vnico illo actu, quo ſumitur ſpecies panis manducat homo carnem, & bibit ſanguinem Chriſti; ideo in manducante ſolum ipſum ſacratiſſimum panẽ, habet verum iſta Domini ſententia: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam. „ „ „

Sed contra arguit Ianſenius in ſecũda parte ſuæ concordiæ Euangelicæ. Nam non apparet, quo modo illa exterior ſumptio panis, poſſit dici t bibitio. Manducatio etenim recte dicitur, quia ſumitur ibi aliquid per modum cibi; ſed bibitio nullo modo dici poteſt, cum nihil ſumatur per modum potus. Non enim diceremus (inquit ipſe) eum manducare, & bibere, qui panem tinctum vino ſumeret; quamuis id ſumat, quod famem tollit, & ſitim. Quod ſi ad hoc reſpondeas eum, qui car *Cap.9.*

nem Chriſti Domini ſumit ſub ſpecie panis, ea ratione dici manducare, & bibere, non ratione actus exterioris, qui manducationis tantum ſpeciem habet; ſed ratione actus interioris, ſcilicet ratione actus fidei, quæ fertur & in carnẽ Chriſti paſſam, & in ſanguinem pro nobis effuſum; & ita Chriſtum hic loqui de manducatione ſacramentali, ſed quæ habet adiunctam etiam ſpiritualem; tunc ſic argumẽtor. Ergo iam locus magis intelligetur de manducatione ſpirituali, quàm de ſacramentali; ac per conſequens, vt ceſſent huiuſmodi inconuenientia, hæc pars ſecunda capitis abſolute de manducatione ſpirituali erit intelligenda.

Et confirmatur: nam ſi iſte locus: Niſi manducaueritis, &c. intelligeretur de mãducatione ſacramẽtali, ſequeretur, quod pueri, qui ſine perceptione ſacramentali Euchariſtiæ decedunt, non haberent vitam, etiam ſi ſuſciperent baptiſmi Sacramentum: quod eſt intolerabile inconue-

niens. & ſequela probatur, quia illa ſententia generalis eſt, quod ſi quis non mãducauerit panem, & biberit ſanguinem, non habebit vitam; ergo. Dices pueros, cum ſuſcipiunt Sacramentum baptiſmi, ſuſcipere Sacramentum Euchariſtiæ in voto, ſed contra: nam ad votum requiritur intentio vouentis, quam pueri non habent. Sed rurſus dicas, quod, quia paruuli non poſſunt habere huiuſmodi votum, & formalem intentionem, ſufficit percipere hoc Sacramentum ex voto Eccleſiæ: ne modo ad Patrinos ſermonem noſtrum conuertamus, qui perſonam gerunt infantulorum, & quorum intentio, & profeſſio fidei ſufficit ipſis pueris. Nã hæc non viderentur eſſe vera, cum puer baptizaretur ab infideli: ideo his ſufficit votum Eccleſiæ. ſed contra, quia ſi hoc verum eſt, iam paruulis neceſſariũ eſt duo capere Sacramenta, alterum in re, vt baptiſmum, & alterum in voto, vt Euchariſtiam. quod ſi hæc duo ſuſcipiunt Sacra-

menta,& rurſus geminam quoque Sacramentalem adipiſcentur gratiam; aliam ex baptiſmo realiter ſuſcepto, aliã vero ex Euchariſtia ex voto ſuſcepta. Neque inconueniens eſt, quod ex voto ſuſcipiatur; quia Sacramenta ex voto ſuſcepta, ſi non tantam, ſaltem aliquantulam conferunt gratiam, ſi obex non obſtiterit: at infantulo baptizato obſtat nihil; ergo. Sed probatur vlterius, quod huiuſmodi votum non ſufficiat paruulis. Et perſiſtamus in hoc, quod puer baptizetur ab infideli in ſolitudine, Patrinis deſtitutus. In hoc enim caſu nullum eſt votum Eccleſiæ actuale, vt huiuſmodi paruulus Euchariſtiam ſuſcipiat, quia infantulus hic ignotus eſt Eccleſiæ. Votum autem, cum ſit deſiderium quoddam, præexigit notitiam: quia nihil volitum, quin præcognitum. Ideo Eccleſia nullum habet deſiderium actuale, quod huiuſmodi paruulus ſuſcipiat Euchariſtiam ſuo tempore; ergo. Et argumentor præterea fere euidenti

denti argumento. Nam baptiſmus ſuſceptus ex voto Eccleſiæ non prodeſt infantulis; ergo nec Euchariſtia ex voto ſuſcepta proderit. Antecedens ſic probatur: nam demus patrinos, vel alios deferre puerum ad Eccleſiam baptizandum, & quod in ingreſſu Eccleſiæ ſub Cathechiſmo e viuis excedat. an non hic ſuſcepit baptiſmum ex voto Eccleſiæ, quandoquidem ad hoc deferebatur, & catechizabatur? at vero hic baptiſmus ex voto ſolum infanti non prodeſt, &c. nec Euchariſtia ex voto ſuſcepta infantulis proderit. Et confirmatur ex D. Caietano, quod iſta ſententia non poſſit conuenire infantulis, ac per conſequens, nec de manducatione ſacramentali poſſit intelligi; quia manducare Sacramentum præſupponit manducationem naturalem; ſicut naſci ſacramentaliter per baptiſmum præſupponit naſci naturaliter. Nullꝰ naſcitur ex aqua, & ſpiritu, niſi natus ſecundum carnem; & ſimiliter nulli impotenti exercere actũ *Ioã. 6.*

manducandi naturalem, imponitur neceſſitas manducandi Sacramentum; ergo Infantes, qui adhuc manducare non poſſunt, ſed ſugere, inepte includuntur ſub hoc præcepto. Cõfirmatur præterea: nam ſequeretur, quod etiam adulti, qui aliqua neceſſaria cauſa non communicarent, perirent, etiam ſi baptizati, & iuſtificati fuiſſent. Niſi enim manducauerint, &c. non habebunt vitam, &c. Dices fortaſſe propter hoc, huiuſmodi Domini ſententiam ſolum ad adultos ſpectare: ſed contra. Nam tunc hæc ſententia non erit generalis, quæ ex vi verborum videtur etiam ad paruulos pertinere, ſicut ex Eccleſiæ determinatione illud, quod Chriſtus dominus dixit Nicodemo: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c. non ſolum adultis, ſed etiam paruulis in vniuerſum debet accommodari. Cum igitur ſententia hæc non poſſit optime declarari, ſi de Sacramentali manducatione intelligatur; ſequitur de

Ioã. 3.

ſpiri-

ſpirituali mãducatione eſſe intelligendã, quæ eſt per fidẽ, quã pueri etiam habent, cum baptiſmum ſuſcipiunt, & participes fiunt meritorum paſſionis Chriſti; &c.

Nec facit aliud argumentum aliquorum, qui dicunt neceſſario hunc locum eſſe intelligendum de manducatione ſacramentali, eo quod duo præcipiat Dominus, nempe manducare carnem, & bibere ſanguinem, quaſi duo diuerſi actus præcipiantur. Dicẽdum enim, quod etiã dominus dicit de ſe: Qui venit ad me, nõ „
eſuriet; qui credit in me, non ſitiet in æter „
num. Vbi proculdubio non loquitur de Sacramento Euchariſtiæ; ſed vnico actu fidei & famẽ dicit tolli, & ſitim: ac proin de vnico actu fidei dicimur & manducare, & bibere. Quoniam autem hac fide oportet credere ſanguinis effuſi in Cruce à carne ſeparationem, ideo diſtincte fit mẽtio carnis, & ſanguinis: & carni quidem tamquam ſolido tribuitur manducatio, ſanguini verò tamquam liquido

potus, vt per hoc ſignificaretur perfecta refectio; ergo.

ADDVCVNTVR ET PRAEcipuæ multæ ſententiæ SS. Patrum, quæ pro ipſis facere videntur. *Cap. V.*

QVarta ratio eſt, quæ ex ipſis expreſsis verbis Domini deſumitur. Iudæis enim murmurãtibus, & etiam ſcandalizatis, quod de ſui corporis manducatione loqueretur, reſpondit: Spiritus eſt, qui viuificat, caro autem
„ nõ prodeſt quidquam. & iterum: Verba,
„ quæ ego loquor, ſpiritus, & vita ſunt. Ex quibus Domini verbis aperte conſtat, quod hæc, quæ dicebat, ſpiritualiter intelligebat; ergo, &c.

Pſ. 98. Facit S. Auguſt. ſuper Pſalmos. vbi ſic explicat iſta verba Ioannis ſpiritualiter; ſic enim ait: Spiritualiter intelligitur, quod locutus ſum: non hoc corpus,

quod videtis, manducaturi eſtis, nec bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum vobis aliquod commendaui, ſpecialiter intellectum viuificabit vos, & neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari; oportet tamen inuiſibiliter intelligi. hæc Auguſt.

Quinta ratio ſumitur ex verbis S. Auguſt. qui cum hoc caput Ioannis interpretatur, ita ait: Quid paras ventrem, & dentem? Crede, & manducaſti. Quaſi dicat: In hoc capite idem eſt manducare, quod credere. atque ita hæc pars capitis de manducatione ſpirituali ſit intelligenda. Et rurſus ait: Credere in eum, hoc eſt mãducare panẽ viuum. Item idẽ Auguſt. de doctrina Chriſtiana ſpiritualiter videtur interpretari illam Domini ſententiam: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, &c. Ibi ſic ait Auguſtinus; Facinus, vel flagitium videtur iubere figura: ergo eſt præcipiẽs, Paſſioni Domini eſſe communicandum,

Tract. 25. in Ioan.

26. tract.

3. lib. c. 10.

& ſuauiter, atque vtiliter recolendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata. Ergo ex his verbis apertum eſt interpretari S. Auguſtinum hunc locum de manducatione ſpirituali.

Lib. 1. Præterea contra Iulianum docet infantes manducare carnem Chriſti, quatenus fidei communicant: ergo hic locus de mãducatione per fidem intelligitur.

Lib. 1. *Pædagogij c.* 6. Præterea Clemens Alexandrinus exponit hoc loco per carnem, & ſanguinẽ Chriſti Verbum Dei, quo ſpiritualiter alimur, & inebriamur. Item S. Baſilius exponit per carnem, & ſanguinem Doctrinam Chriſti, & myſticum eius aduẽtum. Deinde Chryſoſtomus ſuper illa verba: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum; ita ait: Panem verum, ſiue doctrinam hoc in loco & ſalutem, & fidem in ſe, ſiue corpus ſuum dicit: vtrumque enim animam fortiorem reddit. Hieronymus quoque per carnem, & ſanguinem Domini ſcripturas intelligit.

Vide de hoc Toletũ ſuper Ioannem, qui refert, & explicat Baſilium.

*Epiſt.*141.

Hom. 45.

in pſal. 147.

Deni-

Denique S. Bernardus dicit manducare Chriſti carnem eſſe paſſioni Domini cõmunicare, eiusq. vitam imitari. *in 3. verſic. pſ. 90.*

Sed doctiſſimus Ianſenius, dum videt fere omnes ſanctos, etiam S. Auguſtinũ, vt aperte conſtabit ex dicendis, interpretari hanc partem capitis de Sacramentali manducatione, ſic illos intendit exponere, vt per quandam accommodationẽ, & extenſionem loquantur (vt inquit ipſe) valde vtilem ſimul, & aptam; nec alienam ab intentione Domini. Vtilem dicit, vt excitaret auditores ad frequẽtem Sacramenti valde ſalutaris perceptionem: aptam autem, eo quod ſub Sacramento panis, & vini vere contineatur caro Chriſti, & ſanguis. Atque ob id, quæ hic abſolute dicuntur de carne Chriſti, & ſanguine, etiam competunt carni eius, & ſanguini, vt continentur in Sacramento: hæc Ianſenius. Ergo cum patres, vt viſum eſt, interpretentur hanc ſecundam partem 6. capitis de manducatione ſpiri

tuali, de illa abſque difficultate caput erit intelligendus.

Sexto, quia hoc Sacramentum nondum fuerat inſtitutum; ergo de illo non erat agendum, nec de eius ſumptione, niſi poſt eius inſtitutionem, quæ fuit in vltima cæna. Sermo autem Ioan. 6. fuit vno integro anno ante. Ergo conſequens eſt, quod in hoc 6. capite ſolum tractet S. Ioannes ſpiritualiter de manducatione, & bibitione; & nullo modo de manducatione, & bibitione Sacramentali; quia nondum erat inſtitutum ſacramentum.

Septimum argumentum eſt. Nam S. Ioan. 6. nullam facit mentionem panis materialis, nec gratiarum actionis, nec diſtributionis, neque noui teſtamenti, nec annunciationis, & memoriæ paſſionis Chriſti: non igitur loquitur de Sacramento cænæ, quod ſine Symbolis illis eſſe non poteſt.

Vltima denique ratio eſt, quia ſi hæc

ſecunda pars capitis de manducatione ſpirituali intelligatur, quæ eſt per fidem in carnem traditam in cruce, & ſanguinem effuſum pro nobis; contextus ipſe liquet,& præcedentia,& ſequentia id ſatis exigunt. Omnia denique conſonant, & ceſſant omnes difficultates, quæ oriuntur, ſi de manducatione Sacramentali accipiantur, Ergo

SENTENTIA TENENDA, *circa interpretationem c. 6. S. Ioannis in ſecunda parte, cõprobatur in primis auctoritatibus Conciliorum.*

Cap. VI.

HIS nihilominus non obſtantibus, quia auctores prænominati, qui hanc explicationem ſequuntur, ſe opponunt Conciliorum expoſitionibus, torrẽti Sanctorum Patrum, & communi vſui Eccleſiæ: ea omnino reijcienda eſt. & niſi forte limites modeſtiæ excederem,

dicerem tanquam temerariam abijciendam eſſe, & certiſſime tenendum hanc ſecundam partem capitis 6. S. Ioannis neceſſario eſſe declarandam de Sacramento Euchariſtiæ, & eius reali manducatione.

Ad cuius rei probationem quatuor agam. Primo adducam Conciliorum explicationem, ſecũdo Sanctorum Patrum clariſſimas interpretationes, & communem Doctorum in hac re ſententiam: tertiò rationibus manifeſtis hanc eſſe veram interpretationem, & tenendam comprobabo. Ac denique vltimo argumentis pro contraria parte obiectis ſatisfaciam.

Concilium hoc fuit tertiũ vniuerſale conuocatum, anno Domini 468. fuere Epiſcopi 200.

Et in primis, vt à ſacrorum Conciliorum auctoritate incipiamus; Concilium Epheſinum videtur hanc interpretationẽ approbare in Epiſtola S. Cyrilli Alexandrini ad Neſtorium; ſic enim ait: Quin illud quoque non poſſum hoc loco non adijcere, nempe dum vnigeniti filij Dei, hoc eſt Ieſu Chriſti mortẽ, & ex mortuis

reſurrectionem annunciamus, eiuſdemq. in cælum aſſumptionem profitemur, incruentum in Eccleſia Dei cultum nos obire, myſticasq. benedictiones adire, eaq. ratione ſanctificari, vt pote ſacræ carnis, & prætioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrum ſeruatoris participes effecti. Neque enim illam vt carnem communem ſuſcipimus, abſit hoc; neque rurſum tanquam viri cuiuſpiam ſanctificati, aut dignitatis tantum æqualitate Verbo conſociati, aut diuinam inhabitationem ſortiti; ſed tanquam vere viuificam, ipſiusq. verbi propriam. Nam cum vita ſit, & Deus ſecundum naturam ſimulatq. vnum quoddam cum ſua carne effectum eſt, mox viuificãdi virtutem illi contulit. Quamuis ergo ad nos dicat: Amen, Amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, &c. neutiquã tamen illam communem, hoc eſt hominis cuiuſpiam noſtræ conditionis carnem eſſe exiſtimare debemus. Quomodo enim

Vide hoc pro declaratione ſententiæ ſeruatoris noſtri: Spirit' eſt, qui viuificat, &c.

Ioan. 6.

„ hominis caro, ſecundum ſuam ipſius na-
„ turam viuifica eſſe queat? Sed oportet ve
„ re illius propriam eſſe cenſere, qui noſtri
„ cauſa filius hominis & factus, & appella-
„ tus eſt.

Item Concilium Nicenum ſecundũ ſic ait ex Epiphanio: Nemo vnquam Sãctorum Apoſtolorum, qui Tubæ ſunt Spiritus ſancti, aut glorioſarum patrum noſtrorum, incruentum noſtrum ſacrificium in memoriam Paſſionis Chriſti Domini Dei noſtri, & totius ſuæ diſpenſationis factum, imaginem corporis illius dixerit. Nam is, qui accipit à Domino, ſic non dicit, aut confitetur; ſed audiuit ſic dicentem euangelice: Niſi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non intrabitis in regnum cœlorum, &: Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. et: Cum accepiſſet panem, & gratias egiſſet, fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & dixit: Accipite, edite: hoc eſt cor-

Act. 6. tomo. 3. pag. 569. Concilium hoc fuit vniuerſale 7. conuocatũ ſub anno Domini 790. interfuerũt Epiſcopi 350. &c.

pus meum. & accepto Calice cum gratias egiſſet, dedit illis dicens: Bibite ex ” hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus ” noui teſtamenti, qui pro multis effundetur ” in remiſſionem peccatorum. ” Non autem dixit: Sumite, edite imaginem corporis mei. Deinde Concilium adducit S. *1.Cor.11.* Paulũ in huiuſmodi rei confirmationem. Ecce ergo quo modo Concilium ad comprobandam realem præſentiam corporis Chriſti in Sacramento, vtitur auctoritate S. Ioannis: Niſi comederitis carnem filij *Eph.6.* hominis, &c. ſicuti vtitur, & alijs auctoritatibus diuinæ ſcripturæ, quas fides docet eandem realem exiſtentiam in Sacramento manifeſtare.

Præterea Concilium Cabilonenſe ſecundum ſic ait: In perceptione corporis, & ſanguinis Domini magna diſcretio adhibenda eſt. Cauendum eſt enim, ne ſi nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &

tom. 6.c. 45. Concilium hoc fuit celebratũ ſub anno Domini 809. ſub Leone 3. & Carolo Magno Imperatore, &c.

" biberitis eius ſanguinem, non habebitis
" vitam in vobis. Si vero indiſcrete acci-
" piatur, timendum illud, quod ait Apoſto
" lus: Qui manducat, & bibit indigne, iudi-
" cium ſibi manducat, & bibit. Iuxta ergo eiuſdem Apoſtoli documentum probare ſe debet homo, & ſic de pane illo manducare, & de calice bibere, vt videlicet abſtinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus, animamq. ſuam, præparet ſe ad percipiendum tantum Sacramentum, exemplo Dauid, qui niſi faſſus fuiſſet abſtinuiſſe ab opere coniugali ab heri, & nudius tertius, panes propoſitionis nequaquam à ſacerdote accepiſſet.

Seſſ. 13. c. 2. Item & Concilium Tridentinum ſic ait, dum loquitur de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento: Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tamquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes, vt illius, qui dixit: *Ioã. 6.* Qui mã
" ducat me, & ipſe viuet propter me. Et

tam-

tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur. Ecce quo modo Cōcilium intellexit illud: Qui māducat me, viuet propter me, de manducatione ſacramentali. Videndum eſt etiam idē Concilium ſeſs. 21. c. 1. 2. & 3. *Ioan. 6.*

EX CATHECHISMO ROmano Pij V. Pont. Maximi iuſſu edito. Cap. VII.

QVA ratione intellexit Cathechiſmus Romanus ex decreto eiuſdem Sacri Concilij Tridentini, & Pij V. Pont. max. iuſſu editus, cui quidem magna fides adhibenda eſt, vtpote delectorum hominum præſtanti doctrina ſumma cura confecto, & quod magis eſt, à tanto Pontifice approbato. In eo enim dum de Sacramento Euchariſtiæ ſermo fit pro diuerſitate materiæ, diuerſas etiā S. Ioannis interſeruntur ſententiæ, vel ad *Cap. 6.*

comprobandam veritatem, & dignitatē illius ſacratiſſimi cibi, vel ad probandam realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia. vbi abſq. difficultate de Sacramento Euchariſtiæ, & eius reali manducatione explicat cap. 6. S. Ioannis.

Sic enim ibi dicitur primum in illo tractatu de Euchariſtia: Nam quemadmodum cibus, & potus, quæ duæ diuerſæ res ſunt, ad vnam tantum rem adhibentur, vt ſcilicet vires corporis reficiantur; ita etiam illis duas diuerſas Sacramenti ſpecies reſpondere conſentaneum fuit, quæ cibum ſpiritualem ſignificarent quo mentes ſuſtinentur, & recreantur. Quare à Domino Saluatore dictum eſt: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.

Deinde ſic ait in alio loco: Duplex itaque huius Sacramenti materia, altera panis ex tritico confectus, de qua primo agetur; de altera poſtea dicendum erit. nam, vt docent Euangeliſtæ Matheus,

Marcus,& Lucas, Chriſtus Dominus panem in manus accepit, benedixit, & fregit dicens: Hoc eſt corpus meum. Apud Ioannem quoque idem Saluator noſter ſe ipſum panem appellauit, cum inquit: Ego ſum panis viuus, qui &c. *Ioan. 6.*

Inſuper & ait: Hæc vero ex teſtimonijs ſcripturarum facile fuit colligere; primum quod in ipſius Sacramenti inſtitutione ipſe Dominus dixit: Hoc eſt corpus meum. vocis enim, Hoc, ea vis eſt, vt omnem rei præſentis ſubſtantiã demonſtret. Quod ſi panis ſubſtantia remaneret, vere dici videretur: Hoc eſt corpus meum. Deinde Chriſtus Dominus apud Ioannem, Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. panem videlicet, carnem ſuam vocans; ac paulo poſt ſubiecit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, & rurſus: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Cum vero tam claris, & *Math. 26. Marc. 14. Lucæ 22. 1. Cor. 11.*

perſpicuis verbis carnem ſuam panem, & cibum verum, ſanguinem item verum potum nominauerit; ſatis videtur declaraſſe, nullam in Sacramento ſubſtantiam panis, & vini remanere. Attende obſecro, lector, quam clare catechiſmus, & abſque aliqua dubitatione hæc relata verba S. Ioannis intelligat de Euchariſtiæ Sacramento.

Præterea ait: Poſtremo, vt vno verbo omnes huius Sacramenti vtilitates comprehendantur, dicendum eſt Sacræ Euchariſtiæ ſummam vim eſſe ad æternam gloriam comparandã. ſcriptum eſt enim: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.

Item & alio loco ſic ait: Quod ſi gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, in animam quoque influat eſt neceſſe, cum eum pure, & ſancte accipit, qui de ſe ipſo dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me

manet,& ego in illo. Nam qui pietatis,& religionis ſtudio affecti hoc Sacramentũ ſumunt, nemini dubium eſſe debet, quin ita filium Dei in ſe admittant, vt eius corpori tamquam viua membra inſerantur; ſiquidem ſcriptum eſt: Qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Item, Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Quem locum Cyrillus, dum „ interpretaretur, inquit: Dei verbum vniẽs „ ſe ipſum propriæ carni fecit ipſam viuificatiuam. Eum ergo dicebat miro quodã modo vniri corporibus per ſacram eius carnem, & pretioſum ſanguinem, quem accipimus in benedictione viuificatiua in pane, & vino.

Item etiam ſic ait: Hæc omnia à Paſtoribus latiſſime explicabuntur, ſi vel S. Ioannis c. ſextum, in quo multiplices Sacramenti effectus aperiuntur, tractandum ſumpſerint.

Vltimo denique ſic ait: Etenim idem Dominus noſter cum de hoc Sacramen-

to loqueretur, alterius tantum ſpeciei ſæpius meminit, vt, cum inquit: Siquis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. & : Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. & : Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Ex his igitur plane conſtat hoc caput ſextum S. Ioannis non modo de Sacramento Euchariſtiæ intelligi, ſed etiam ipſum ſic intelligendũ eſſe ab omnibus fidelibus tamquã perſpicuum, & manifeſtum ſit, cum ex decreto Sanctiſſimi Pontificis, & Concilij ſic proponendum, & prædicandum eſſe ſtatutum ſit.

EX SANCTORVM PATRVM ſententijs probatur explicatio ſecundæ partis 6. c. Ioannis de manducatione Sacramentali. Cap. VIII.

Tertullia. vixit Cæſaris Seueri ætate.

SED iam ad Patres Eccleſiæ, ſanctoſq. Doctores deueniamus. & vt à Latinis incipiamus, in primis Tertul-

lianus in lib. de Oratione exponens illud ,,
verbum: Panem noſtrum quotidianum, ,,
da nobis hodie, inquit: Spiritualiter po- ,,
tius intelligamus. Chriſtus enim panis no ,,
ſter eſt; quia vita Chriſtus, & vita panis. ,,
Ego, inquit, ſum panis vitæ. & paulo ſu- ,,
perius ſic ait: Panis eſt ſermo Dei viui, ,,
qui deſcendit de cælis. tum quia & cor- ,,
pus eius in pane cenſetur: Hoc eſt cor- ,,
pus meum. Itaque petendo panem quo- ,,
tidianum, perpetuitatem poſtulamus in ,,
Chriſto, & indiuiduitatẽ à corpore eius. ,,
Hæc Tertullianus. Perpende, quo modo dicat carnem Chriſti, & carnem verbi, quod appellat ſermonem Dei Viui, eſſe illum panem, de quo dicitur: Hoc eſt corpus meum; & verba Ioannis cum illis S. Matthæi: Hoc eſt corpus meum, coniungit, quæ plane de Euchariſtia intelliguntur, & panem hunc docet in oratione eſſe petendum.

Origenes floruit ſub Valeriano

Origenes præterea in 7. homilia in numeros ſic dicit: Antea baptiſmus in nu-

& Galieno Imperatorib. anno, 264.

be, & mari erat, in ænigmate, hoc eſt in figura. iam autem eſt in regeneratione, aqua ſcilicet, & ſancto Spiritu. In ſpecie illic erat Manna ad cibum in ænigmate; nunc autem eſt caro verbi Dei, verus cibus re ipſa, quemadmodum ait: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Ita Moyſes: Qui apud nos eſt, loquitur, &c. Adhæc in 13. hom. ſuper Leuiticum ita ſcribit: Duodecim propoſitionis panes Domino adferebantur, tamquam euidens monimentum, & ſupplicatio per duodecim Iſraelis tribus, licet huiuſmodi ſupplicatio admodum ſimplex, & leuis fuerit. Cum enim ad panem illum, qui cælitus deſcendit, & mundo vitam dat, verum illum propoſitionis panem, quem Deus in propitiationem exhibuit per fidem in ſuo ſanguine, acceſſerimus, & ita recordationi inhæſerimus, cuius Dominus meminit: Hoc facite in meã commemorationem; tunc demum videbimus hoc verum eſſe ſym-

Ioan, 6.

Propoſitionum panis figura erat veri corporis Chriſti in Sacramẽto.

bolum

bolum Deo hominem gratificans, ergo.

Idem Homil. 16. ſuper numeros prope finem, ſuper illis verbis: Non dormiet, donec comedat prædam, & ſanguinem vulneratorum bibat. Sed his argumentis Origenis, & Tertullliani relictis, & poſthabitis, Patrum teſtimonia afferamus.

Et inprimis S. Cyprianus in expoſitione orationis Dominicæ, ſuper illa verba, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, ſic ait: Panis vitæ Chriſtus eſt, & panis hic omnium non eſt, ſed noſter eſt, quo modo dicimus, Pater noſter; quia intelligentium, & credentium pater eſt; ſic & panem noſtrum vocamus, quia Chriſtus noſter, quia corpus eius contingimus, panis eſt. Hunc autem panem dari nobis poſtulamus, ne, qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abſtinentes, & non communicantes à cæleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur,

Cyprianus floruit ſub Valeriano anno Domini 249. vitã ſuam Chriſto Domino feliciſsimo martyrio conſecrauit.

„ ipſo predicante, & monente: Ego ſum
„ panis vitæ, qui de cælo deſcendi. ſi quis
„ ederit de me pane, viuet in æternum. Pa-
„ nis autem, quem ego dedero, caro mea
„ eſt pro ſeculi vita. Quando ergo dicit in æternum viuere, ſi quis ederit de eius pane; vt manifeſtum eſt eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Euchariſtiam iure communicationis accipiunt; ita contra timendum eſt, & orandum, ne dum quis abſtineat, ſeparetur à Chriſti corpore, & procul remaneat à ſalute, comminante
„ ipſo, & dicente. Niſi ederitis carnem filij
„ hominis, & biberitis eius ſanguinem, non
„ habebitis vitam in vobis. Hæc Cyprianus. eodem etiam modo loquitur libro contra Iudæos, c. 22.

Videatur auctoritas Concilij ſecundi Cabiloñenſis 5. citata, quæ videtur deſumpta ex hac S. Cypriani ſententia.

Accedit aliud teſtimonium S. Athanaſi, quod eſt expreſſum in expoſitione illius dicti. Quicumque dixerit verbum in filium hominis, &c. & ſic habet: Iſtiuſmodi characterem etiam in Ioannis Euãgelio vidi. Vbi de eſu corporis diſputans,

Athanaſius Epiſcopus, qui vixit anno Domini 379. Magni Conſtantini, ſuorũq. filiorum tẽpore.
Matth. 12.

ac propterea multos ſcandalizatos con-
ſpiciens, ita locutus eſt: Hoc vos ſcanda-
lizat? Quid ſi igitur filium hominis ſpecta-
veritis aſcendentem, vbi prius erat? Spiri- *Ioan. 6.*
tus eſt, qui viuificat: caro non prodeſt
quidquam. verba, quæ ego locutus ſum
vobis, ſpiritus ſunt, & vita. Hic enim de
vtroque carne, & ſpiritu ſuo locutus eſt,
& ſpiritum à carne diſcriminauit, vt non
ſolum in eo, quod oculis apparebat, ſed
naturam quoque inuiſibilem credentes
diſceremus ea, quæ loqueretur, non car-
nalia eſſe, ſed ſpiritualia. Quot enim
hominibus corpus eius ſuffeciſſet ad ci-
bum, vt vniuerſi mundi alimonia fieret?
Sed propterea aſcenſionis ſuæ in cœlum
mentionem fecit, vt eos ab corporali in-
tellectu abſtraheret, ac deinde carnem
ſuam, de qua loquutus erat, cibum e ſu-
pernis cœleſtem, & ſpiritualem alimo-
niam, & ab ipſo donandum intelligerent.
Quæ enim loquutus ſum vobis, inquit, ſpi
ritus, & vita ſunt. Quod perinde eſt, ac ſi

„ diceret: Corpus meum, quod oſtenditur, „ & datur pro mundo in cibum, dabitur, vt „ ſpiritualiter vnicuique tribuatur, & fiat „ ſingulis tutamen, præſeruatioq. ad reſti- „ tutionem vitæ æternæ. In quo teſtimonio aduertendum eſt, quo modo totum hunc contextum Ioannis de hoc pane S. Athanaſius exponat; & hanc manducationem ſpiritualem vocat, quamuis vere Chriſti caro realiter ſumatur, ſed virtute ſpiritus, & diuinitatis, quæ illi eſt vnita: Videndus eſt idem Athanaſius lib. de incarnatione Chriſti, vbi illud teſtimonium S. Ioannis: Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita; de Sacramento Euchariſtiæ exponit.

S. Euſebi' Emiſſenus. *Hom. 5. de Paſcha.*

Eſt & aliud teſtimonium Euſebij Emiſſeni, qui in ſermone de corpore & ſan guine Domini ſic ait: Et ideo quia cor- „ pus aſſumptum ablaturus erat ex oculis „ noſtris, & ſideribus illaturus, neceſſarium „ erat, vt nobis in hac die Sacramentum „ corporis, & ſanguinis ſui conſecraret, vt

coleretur iugiter per myſterium,quod ſemel offerebatur in pretium; vt quia quotidiana, & indefeſſa currebat pro hominũ ſalute redemptio,perpetua eſſet etiam redemptionis oblatio,& perennis illa vittima viueret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia vere vnica & perfecta hoſtia, fide æſtimanda, non ſpecie, nec exteriori cenſenda viſu, ſed interiori affectu. Vnde merito cœleſtis confirmat auctoritas: Quia caro mea vere eſt cibus,& ſanguis meus, vere eſt potus. *Ioan. 6.* Recedat ergo omnis infidelitatis ambiguum, quandoquidem, qui auctor eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt veritatis. Nam inuiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantia corporis,& ſanguinis ſui verbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit,ita dicens: Accipite, & edite; hoc eſt enim corpus meum. & ſanctificatione repetita,Recipite,& bibite;hic eſt ſanguis meus, &c.

Et in homil.de paſſione Domini ſuper illis verbis apud Mathæum Palmarum

die proponi conſuetis ſic ait: Comedentibus autem illis accepit Ieſus panem, & benedixit, & fregit, deditque Diſcipulis ſuis dicens: Accipite, & edite; hoc eſt meũ corpus, &c. Exponit dominus hoc in loco, quid ſignificaret, cum alibi diceret: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ecce ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: panem & vinum, virtute ineffabili in ſui corporis & ſanguinis ſubſtantiam conuertit, &c.

ALIIS ETIAM ADDUCTIS *Sanctorum Patrum teſtimonijs eadem ſententia declaratur.*

Cap. IX.

S.Hilarius. *lib. 8. de Trin.*

PRæterea S.Hilarius ſic ait: Si enim vere verbum caro factum eſt, & nos verbum carnem cibo dominico ſumimus; quomodo non naturaliter

in nobis manere exiſtimandus eſt, qui & ”
naturam carnis noſtræ iam inſeparabilē ”
ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam ”
carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub Sa ”
cramento nobis communicandæ carnis ”
admiſcuit? &c. Et ſequitur paulo infe- ”
rius: Non eſt humano, aut ſeruili ſenſu in ”
Dei rebus loquendum, neque per violen- ”
tam, atque impudentem prædicationem ”
cœleſtium dictorum, ſanitate aliena; at- ”
que impiæ intelligentiæ extorquēda per- ”
uerſitas eſt: quæ ſcripta ſunt, legamus, & ”
quæ legerimus, intelligamus, & tunc per- ”
fecte fidei officio fungemur. De naturali ”
enim in nobis Chriſti veritate, quæ dici- ”
mus, niſi ab eo diſcimus, ſtulte, atque im ”
pie diſcimus. Ipſe enim ait: Caro mea ve- *Ioan. 6.*
re eſt eſca, & ſanguis meus vere eſt po- ”
tus: Qui edit carnem meam, & bibit ſan- ”
guinem meum in me manet, & ego in eo. ”
De veritate carnis, & ſanguinis non eſt re- ”
lictus ambigendi locus; nunc enim & ip- ”
ſius Domini profeſſione, & fide noſtra ”

vere

„ vere caro eſt, & vere ſanguis eſt; & hæc
„ accepta atque hauſta id efficiunt, vt &
„ nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis
„ ſit, &c.

S. Baſilius. Orat. 9. in examer. Eſt etiam teſtimonium S. Baſilij, qui ad Cæſariam patritiam ſic ait: Commen
„ dabilis,& vtiliſſima eſt doctrina quotidie
„ communicandi, & ſanctum corpus, ac
„ ſanguinem Chriſti accipiendi, vt ipſe li-
Ioan. 6. quido docet: Qui carnem meam edit, &
„ bibit meum ſanguinem, æternam vitam
„ habet. Nemo in hoc enim ambiget, quod
„ frequens communicatio vitæ, aliud ſit,
„ quam viuendi quædam ratio multifa-
„ riam inſtituta.

Lib. moral. ſiue in Ethica, diffinitione 21. Eſt & idem Baſilius teſtimonium, cum ait: Quod nil vtilitatis accipiat, qui ſine conſideratione rationis, iuxta quam traditur participatio corporis, & ſanguinis
„ Chriſti, ad communionem accedit. et:
„ Quod qui indigne accepit, condemnatus
„ ſit: Amen, amen dico vobis, niſi mandu-
„ caueritis carnem filij hominis, & biberi-

tis

tis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis ipſis. Et paulo poſt: Cum autem cognouiſſet Ieſus in ſe ipſo, quod murmurarẽt de eo diſcipuli ſui, dixit eis: Hoc vos offendit. Si igitur videbitis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius, caro non prodeſt quidquam, ſpiritus eſt, qui viuificat. verba mea, quæ ego loquutus ſum, ſpiritus ſunt, & vita. Itaque qui manducat panem hunc, & bibit poculum hoc Domini indigne, reus erit corporis, ac ſanguinis Domini. Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de poculo bibat. Qui nãq; manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi ipſi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. Hæc Baſilius. Videndus lib. de baptiſmo, titulo, quod qui per baptiſmum regeneratus eſt, participatione deinceps diuinorũ myſteriorum nutriri debet.

Ioan. 6.

Ioan. 6.

Accedit & S. Gregorij Niſſeni auctoritas. is enim de hoc digniſſimo ſacramento ita ſcribit: oportet videlicet fide,

S. Gregorius Niſſenus. *lib. de vita Moyſis.*

baptiſ-

„ baptiſmate, labore, omni virtute, omni
„ Euangelica doctrina mundos, puroſque
„ animos noſtros reddere; ita vt omnino
„ alienigeni mores,& Aegyptiaca vita, vi-
„ tiorum ſcilicet omnium turba nos defi-
„ ciat; & demum depurato, defecatoque
„ animo cœleſtem cibum eſſe ſuſcipien-
„ dum, quem nulla nobis ſatio agricultu-
„ ræ artibus produxit;ſed panis eſt abſque
„ ſemine,abſque aratione, abſque alio hu-
„ mano opere nobis paratus. is deſuper
„ fluens in terris inuenitur.Panis enim, qui
Ioan. 6. de cœlis deſcendit, qui verus cibus eſt,
„ qui ænigmatice hac hiſtoria ſignifica-
„ tur,non incorporea quidem res eſt; quo
„ enim pacto res incorporea corpori ci-
„ bi fiet? Res vero, quæ incorporea nõ eſt,
„ corpus omnino eſt,&c. Hactenus Grego
„ rius Niſſenus.

S. Hieronymus. Super pſ. 109. Eſt præterea S. Hieronymi ſententia ita dicentis ſuper illo: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: Hoc ſolum dicamus, quare dixerit

ſecun-

ſecundum ordinem. Nequaquam ſacerdos eris ſecundũ victimas Iudaicas, ſed eris ſacerdos ſecundũ ordinẽ Melchiſedech. vt enim Melchiſedech Rex ſalem obtulit, panem, & vinum; ſic & tu offeres corpus tuum, & ſanguinem: verum panem, & verum vinum. Iſte Melchiſedech iſta myſteria, quæ habemus, dedit nobis: iſte eſt, qui dixit: Qui manducauerit carnem meam, & biberet ſanguinem meum ſecundum ordinẽ Melchiſedech; tradidit nobis Sacramentum ſuum.

Item in epiſtola ad Hedibiam ſic habet: Nos audiamus panem, quem fregit *q. 2.*
Dominus, deditq. diſcipulis ſuis, eſſe cor ,,
pus Domini Saluatoris, ipſo dicente ad ,,
eos: Accipite, & comedite; hoc eſt corpus meum: & calicem illum eſſe, de quo locutus eſt: Bibite ex hoc omnes; hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur. Iſte Calix, de quo in propheta legitur: Calicem ſalutaris accipiam. & alibi: Calix meus inebrians quã

præclarus eſt? Si ergo panis, qui de cælo deſcendit, eſt corpus Chriſti, & vinum, quod Diſcipulis dedit, eſt ſanguis illius; Iudaicas fabulas repellamus. Et poſt pau-
„ ca: Nec Moyſes dedit vobis panem verum, ſed Dominus Ieſus: ipſe conuiua, & conuiuium, ipſe comedens, & qui comedit: illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus, & quotidie in ſacrificijs de genimine vitis eius veræ, & vineæ ſoreæ, quæ interpretatur electa, rubentia muſta calcamus. vbi videre licet, quo modo interſerit verba Ioannis verbis Euangeliſtarum, qui de manducatione Sacramentali tractant. Et eodem modo Ioannem exponit Hieronymus, ac alios Euangeliſtas. Vide ipſum ſuper illa verba: Panem noſtrum quotidianum.

Super Matheum 6.

S. Chryſoſtomus. *Homi. 45. ſuper Ioã.*

Etiam S. Chryſoſtomus eodem modo explicat S. Ioannem, vt videre eſt ſuper illa verba: Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Ibi videndus, qui multa quidem ibi de Sacramẽto Eu-

cha-

chariſtiæ adducit. Poſtquam etenim quæſtionem illam ſoluit: Cur, inquam, Chriſtus hæc loqueretur, cum nihil proficeret; verba ſunt Chryſoſtomi: Nihil ædificaret, immo eſſet ædificatis nocumento; ex hoc enim multi ex diſcipulis eius abierunt. cui reſpondet, & refert hoc ad ſtultitiam Iudæorum, & in principio ſic ait: Cum enim in petendo cibo inſtarent, & patribus ſuis datum memorarent, & Manna tamquam magnum quiddam laudarent; omnia illa figuram, & vmbram fuiſſe, rerum autem veritatem præſentem eſſe oſtendit. Ideo ſpiritalis cibi meminit, &c. Et infra ait, & loquitur de Iudæis: Illi quidem tunc temporis nihil ex his dictis, nos ipſius beneficij vtilitatem cœpimus. quare neceſſario dicendum, quam admiranda myſteria, & cur data ſint, & quæ nam eorum vtilitas. Vnum corpus ſumus, & membra ex carne & oſſibus eius; quare initiati eius præceptis, parere debent. vt autem non ſolum per dilectio-

Dicitur ſpiritualis cibus, quia quatenus ex ſe eſt, ad ſpiritum ſuſtentandũ eſt inſtitutus.

nem, ſed re ipſa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt. Cum enim ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cum capite vniretur; hoc.n. amantiũ maxime eſt. Hoc Iob ſignificabat de ſeruis, à quibus maxime amabatur, qui ſuum amorẽ præſe ferentes dicebant: Quis daret nobis, vt eius carnibus impleremur? Quod Chriſtus fecit, vt maiori nos charitate adſtringeret, & vt ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non ſe tantum videri permittens deſiderantibus, ſed & tangi, & manducari, & dentes carni ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes impleri, &c. Ecce quo modo S. Chryſoſtomus prædictam S. Ioannis ſententiam intellexit de Sacramento Euchariſtiæ, cuius ſententiæ occaſione prolixum de Euchariſtia inſtituit habere ſermonem.

S. Ambroſius.

Ad hæc eſt aperta ſententia S. Ambro

ſij, qui lib. de benedictionibus Patriarcharum c.9.ita ſcribit:Hic Chriſtus diues eſt theſaurus, huius pinguis panis, quem qui manducauerit, eſurire non poteſt. Hunc panem dedit Apoſtolis, vt diuiderent populo credentium,hodieq. dat nobis eum, quem ipſe quotidie ſacerdos cõſecrat ſuis verbis. Hic ergo panis factus eſt eſca ſanctorũ. Poſſumus & ipſum Dominum accipere,qui ſuam carnem nobis dedit,ſicut ipſe dixit:Ego ſum panis vitæ. „ Patres veſtri manducauerunt Manna in „ deſerto,& mortui ſunt. Hic autem eſt pa „ nis,qui de cœlo deſcendit,vt ſi quis ex eo „ manducauerit, non moriatur. Et ne quis „ putaret, quia de hac morte dixit, quæ per animæ & corporis ſeceſſionem venit, & iure dubitet, cum ſciat Sanctos Apoſtolos hac morte eſſe defunctos, addidit: Ego ſum panis viuus,qui de cœlo deſcen „ di; ſi quis manducauerit ex hoc, viuet in „ æternum. Hoc eſt, non de corporali vita dixi ſupra, nec de morte huius vitæ, qua

etiam ſiquis mortuus fuerit,tamen, ſi panem meum acceperit, viuet in æternum. Ille enim accipit, qui ſe ipſum probat:qui autem accipit, non moritur peccatoris morte, quia panis hic remiſſio peccatorũ eſt. Apertum eſt hoc teſtimonium.

Item & in lib. de his, qui initiantur myſteriis. c.8. ſic ait: Re vera mirabile eſt, quod Manna Deus pluerit patribus, & quotidiano cœli paſcebantur alimento. Vnde dictum eſt: Panem Angelorum mãducauit homo. Sed tamen panem illum qui manducauerunt omnes in deſerto, mortui ſunt. Iſta autem eſca, quam accipimus, iſte panis viuus, qui deſcendit de cœlo, vitæ æternæ ſubſtantiam ſubminiſtrat: & quicumque hunc panem manducauerit, non morietur in æternum, & corpus Chriſti eſt. Ecce alterum apertiſſimũ S. Ambroſij teſtimonium.

Idẽ Ambroſius lib. de Sacramentis ca. 5. & lib. 6. c. 1.

Præterea lib. 6. de Sacramentis c. 1. ſuper illa verba, Niſi quis mãducauerit, &c. ita inquit. Niſi quis manducauerit carnẽ

meam, & biberit ſanguinem meum, non manebit in me, nec habebit vitam æternam. Forte dicas; quo modo vera? Qui ſimilitudinem video, non video ſanguinis veritatem. Primo omnium dixi tibi de ſermone Chriſti; qui operatur, vt poſſit mutare, & conuertere generalia inſtituta naturæ. Deinde vbi non tulerunt ſermonem Chriſti diſcipuli eius, ſed audientes, quod carnem ſuam daret ad manducandum, & ſanguinem ſuum daret bibendũ, recedebant. Solus tamẽ Petrus dixit: Verba vitæ æternæ habes, & ego à te quo recedam? Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam eſſet horror cruoris, ſed maneret gratia Redemptoris. Ideo in ſimilitudinem quidem accipis Sacramentum, ſed vere naturæ gratiam, virtutemque conſequeris. hæc Ambroſius. Vbi verba Ioannis de Sacramento Euchariſtiæ intelligit, oſtenditque conuerſionem panis, & vini, Chriſti virtute factam, & carnem ſumi ſub alienis ſpeciebus, ne ſit horror

cruoris, ac denique docet virtutem carnis ſub alienis ſpeciebus ſumptæ.

ADHVC EX S. AVGVSTINO *& alijs SS. Patribus oſtenditur ſecundam partem c. 6. S. Ioannis debere intelligi de Sacramento Euchariſtiæ, & de manducatione ſacramentali. Cap. X.*

S. Auguſtinus. *Tract. 25. in Ioan.*

SED quia aduerſarij S. Auguſtinum pro confirmatione ſuæ ſententiæ adducunt; neceſſariũ eſt, vt etiam afferamus nos ipſum multis in locis hãc veritatem aſſerentem. Et vt videre eſt, ſuper illa verba: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem; ſic ait: Qui non manet in Chriſto, & in quo nõ manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ſpiritualiter carnem eius, nec bibit eius ſanguinem, licet carnaliter, & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti. Sed magis tan

Tract. 26. in Ioan.

tæ rei Sacramentum ad iudicium ſibi manducat, & bibit; quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere Sacramenta, quæ aliquis non digne ſumit, niſi qui dignus eſt. hæc Auguſtinus. In quo loco verba S. Ioannis de Sacramento Euchariſtiæ exponit; vbi Chriſti caro realiter ſumitur, & ſanguis eius bibitur. Idque ſolum voluit, quando dixit: Fide eſſe manducandum hunc panem, videlicet fidem eſſe neceſſariam, & mentis puritatem, quibus cibus hic ſummi debet, vt proſit, & digne manducetur.

Eſt aliud teſtimonium S. Auguſtini ſuper verba tituli ſcilicet pſalmi Dauidis; Cum vultum ſuum ante Abimelech mutaret, & illum reliquit, & abijt. Sed quia eius ſententia longiſſima eſt, ad compendium eam reducemus. Ait ſiquidem ibi: Erat enim, vt noſtis, ſacrificium Iudæorum antea ſecundum ordinem Aaron in vittimis pecorum, & hoc in myſterio. nondum enim erat ſacrificium corporis,

ſuper pſal. 33.

& ſanguinis Domini, quod fideles norũt, & qui Euangelium legerunt. quod ſacrificium nunc diffuſum eſt toto orbe terrarum. Proponite ergo vobis ante oculos duo ſacrificia, & illud ſecundum ordinem Aaron, & hoc ſecundum ordinẽ Melchiſedech, qui panem & vinum obtulit, & Abrahamum benedixit. ideoque Dauid poſtea de Chriſto ſcripſit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedech. Sublato autem Aaronico ſacrificio, aliud ſecundum ordinem Melchiſedech incipit. Vultum autem ſuum ante Achis mutauit, quia placuit ei, vt noſtra ſalus in illius carne, & ſanguine foret. illud autem non conſequeremur, niſi ſe humiliaſſet. Cum enim in principio, quod verbum erat, & Deus erat verbum; totus & indiuiduus Angelorum cibus erat, quemadmodum adhuc; ſed homines ad cibum illum communicandum non perueniſſemus: ideoque opus fuit, vt mẽſa illa lacteſceret, vt & nos perueniremus.

mus. Quum igitur cibus paruulis lacteſcit per corpus matris, & mãmillas, quæ cibum in carnem, & ſanguinem mutant, & paruulos iſthinc fouent, quibus cibus ſolidior non vſui foret; ſic eſt verbum Angelorum cibus caro factum, & in nobis habitauit, vt & homo Angelorum cibo frueretur. Verum Achis, hoc eſt quo modo fieri poteſt, reliquit, id eſt infideles Iudæos, qui cum audirent: Niſi car- „
nem meam ederitis, & ſanguinem meum „
biberitis, non viuetis: Caro enim mea ve- „
re eſt cibus, & ſanguis meus vere potus „
eſt; ab huiuſmodi verbis exhorreſcebãt, „
durum ſermonem putabant, vt carnem, quam viderent, ederent, & ſanguinem biberent, & ſtultum ſermonem exiſtimabant. Verum qui nouit, quod diceret, ille annuntiauit nobis in huiuſmodi vultus mutatione ſacramenta ſua. hactenus S. Auguſtinus.

Eſt aliud apertum teſtimonium in libro primo contra Creſconium Grãma- *c. 25.*

ticum, vbi ſic dicit: Quod de ipſo corpore, & ſanguine Domini vnico ſacrificio pro ſalute noſtra; quamuis ipſe Dominus dicat: Niſi quis manducauerit carnẽ meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam; non ne idem Apoſtolus docet etiam hoc perniciosum male vtentibus fieri? Ait enim: Quicumque mã-ducauerit panem, & biberit calicem Do-
„ mini indigne, reus erit corporis, & ſan-
„ guinis Domini: Ecce quo modo obſunt
„ diuina, & ſancta male vtentibus. Hæc
„ ſunt ita aperta teſtimonia, vt nulla indi-
„ geant explicatione.

Lib. 1. de pec. merit. & remiſs. contra Pelag. c. 20.

Item clariſſime loquitur S. Auguſtinus, & ſic dicit: Auferatur ergo iam dubitatio: dominum audiamus, non ſuſpiciones coniecturaſque mortalium: Dominum audiamus, inquam, nõ quidem hoc de Sacramento lauacri dicentem, ſed de Sacramento Sanctæ menſæ ſuæ, quo ne-
„ mo rite niſi baptizatus accedit: Niſi mã-
„ ducaueritis carnem meam, & biberitis

ſan-

ſanguinem meum, non habebitis vitam ,,
in vobis. Quid vltra quærimus? Quid ad ,,
hoc reſpondere potuerunt, niſi pertinacia pugnaces neruos aduerſus conſtantiam perſpicuæ veritatis intendant? hæc Auguſtinus.

Præterea lib. eodem ſic dicit: Optime c. 24.
punici Chriſtiani baptiſmum ipſum nihil aliud, quam ſalutem, & Sacramentũ corporis Chriſti; nihil aliud quam vitam vocant. Vnde niſi ex antiqua, vt exiſtimo, & Apoſtolica traditione, qua Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent, præter baptiſmum, & participationem Dominicæ mẽſæ non ſolum non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem, & vitam æternam poſſe quemquam hominum peruenire. Hoc enim & ſcriptura teſtatur ſecundum ea, quæ ſupra diximus. Nam quid aliud tenent, qui baptiſmum nomine ſalutis appellant, niſi quod dictum eſt: Saluos nos ,,
fecit per lauacrũ regenerationis; & quod ,,
Petrus ait: Sic & vos ſimili forma baptiſ- ,,

" ma ſaluos facit? Quid aliud etiam, qui Sa-
" cramentum Dominicæ menſæ vitam vo-
" cant, niſi quod dictum eſt: Ego ſum pa-
" nis vitæ, qui de cœlo deſcendi, & Panis,
" quem ego dedero, caro mea eſt pro ſe-
" culi vita. &: Si non manducaueritis car-
" nem filij hominis, & ſanguinem biberi-
" tis, non habebitis vitam in vobis? Si ergo vt tot, & tanta diuina teſtimonia concinũt, nec ſalus, nec vita æterna ſine baptiſmo, & corpore, & ſanguine Domini cuiquam ſperanda eſt, fruſtra ſine his promittitur paruulis. hæc Auguſtinus.

lib. 17. de ciuit. Dei prope finem.

Item de Ciuitate Dei ſic ait: Quod ergo ait manducare panem, etiam ipſum ſacrificij genus elegãter expreſſit, de quo dicit ſacerdos ipſe: Panis, quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita. ipſum eſt ſacrificium non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech, &c.

Præterea lib. 21. de Ciuitate c. 25. prope finem ita ſcribit: Nec iſti ergo dicen-

di ſunt manducare corpus Chriſti: quoniam nec in membris computandi ſunt Chriſti. Vt enim alia taceam, non poſſum ſimul eſſe & membra Chriſti, & membra meretricis. Denique ipſe dicens: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo; oſtendit quid ſit, non Sacramento tenus, ſed re vera corpus Chriſti manducare, & eius ſanguinem bibere. hoc eſt enim in Chriſto manere, vt in illo maneat & Chriſtus. Sic enim hoc dixit tamquam diceret: Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non ſe dicat, aut exiſtimet manducare corpus meum, aut bibebere ſanguinem meum, &c. Quid clarius? Ita eſt apertum hoc teſtimonium, vt nulla poſſit tergi verſatione infirmari. Vide etiam apertum teſtimonium S. Auguſt. in ſermone de 4. feria, ſiue de cultura agri Dominici: & habetur iſte ſermo tom. eius 9. Vide etiam ſermone 7. de verbis Domini.

Refertur etiam S. Auguſt. à Catherino in ſua Apologia ſuper illo pſalmo, Adorate ſcabellum pedum eius, & lib. 1. de baptiſmo paruulorum c. 20.

Item ſermone primo in Dominica prima Aduentus, & ſermone ſecundo de verbis Apoſtoli, & lib. 3. quæſtionum ſuper Leuiticum, & lib. de ſalutaribus documentis, c. 33. & lib. 4. feriæ. c. 6. Ita vt indubitanter hanc expoſitionem de manducatione ſacramentali S. Auguſtinus tamquam certiſſimam approbauerit.

S. Cyrillus. *lib. 4. ſuper Ioan.*

Eſt & optimum teſtimonium S. Cyrilli, vbi ait: Eſaias dixit, ſi non credideritis, nec intelligetis. Oportebat ergo primum fidei radices in animo iacere, deinde illa quærere, quæ homini quærenda ſunt. illi vero antequam crederent, importune quærebant. Hac igitur de cauſa Dominus, Quo modo, ait, fieri poſſet, non enodauit, ſed fide id quærendum hortatur: ſic credentibus Diſcipulis fragmenta panis dedit dicens: Accipite, & manducate;

hoc

hoc eſt corpus meum. Calicem autem ſimiliter circumtulit dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt Calix ſanguinis mei, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Perſpicis, quia ſine fide quærentibus myſterij modum nequaquam explanauit, credentibus autem etiam non credentibus expoſuit? Audiant hæc, qui ex arrogantia nondum Chriſti fidem ſuſcipere volunt: Niſi manducaueritis car- „
nem filij hominis, & biberitis eius ſangui- „
nem, non habebitis vitam in vobis. non enim poſſunt ſanctificatione beatæ vitæ fieri participes, qui per myſticam benedictionem, hoc eſt Sacramentum, Ieſum nō ſuſceperunt. Vita enim ſecundum naturam ille eſt, qui ex viuo patre genitus eſt. ſed non minus corpus quoque viuificat; coniunctum eſt enim ineffabiliter filio Dei, à quo vniuerſa viuificantur. Idcirco corpus ſuum dicitur, & vnus cum eo eſt, hoc eſt in vnitate perſonæ. Quoniam igitur Saluatoris caro veri Dei, quod natu-

raliter vitæ eſt coniuncta, viuifica effecta eſt; quando eam comedemus, tunc vitam habebimus in nobis illi cõiuncti, quæ vita effecta eſt. hactenus Cyrillus.

Vide etiam ipſum libr. 4. ſuper Ioannem, c. 15. & eodem lib. c. 18. Videndus omnino lib. 10. c. 13.

Deinde eodem lib. c. 28. de propoſitionum panibus, ita loquitur: Chriſtus mẽſa eſt, in qua panes depoſiti ſunt, quibus omnes participatione corporis ſui ad vitam æternam aluntur. Ego enim, ait, ſum
„ panis, qui de cœlo deſcẽdi, & vitam æter-
Ioan. 6. nam do mundo. Si quis manducauerit ex
„ hoc pane, viuet in æternum. Et panis, quẽ
„ ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro
„ mundi vita. Mẽſæ igitur propoſitio, ideſt panes, ſanctiſſimum Chriſti corpus, quo ad vitam æternam omnes alũtur. Sic Cyrillus. Ex quo conſtat, quod menſa propoſitionis panis, ſanctiſſimum Chriſti corpus in Sacramẽto adumbrauit, de quo intelligit S. Cyrillus verba relata S. Ioã. c. 6.

Præterea ſic ait ad Euoptium in interpretatione anathematis mi. 11. in Eccleſijs ſanctum, & viuificans incruentum ſacrificium celebramus: perſua ſum habete, quod vobis illic proponitur illud corpus haberi. Præterea pretioſum ſanguinem non plebei cuiuſdam hominis, vt nos ſumus, ſed multo potius illa ſuſcipimus, vt viuificantis verbi propriam carnem, & ſanguinem: quippe vſitata caro viuificare nequit. Et illud eſt quod ſaluator teſtificatur: Caro non prodeſt quid- ,, quam, ſpiritus eſt, qui viuificat. Nam cum verbi propria caro facta eſt, igitur intelligitur & viuificans eſt, vt Saluator ait: Sicut miſit me viuificans pater, & ego viuo propter patrem, & qui me manducat, viuit propter me.

Vide etiam ipſum ad Theodoſium de recta fide, & in Ioannem lib. 15. c. 22. ita ſcribit: Ipſum domini corpus virtute coniuncti verbi ſanctificatur, & ad benedictionem myſticam adeo aptum fit, vt

poſſit nobis ſanctificationē ſuam immittere. Vnde ipſe quoque Saluator, cum ad Iudæos multa de carne ſua diſſereret, ac viuificum vere panem eā appellaret: „ Panis enim, inquit, quem ego dabo, caro „ mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. Stupentibus illis, & quo modo fieri poſſet, dubitantibus dicebat: Spiritus eſt, qui „ viuificat, caro nihil prodeſt. Verba, quæ „ ego locutus ſum vobis, ſpiritus ſunt, & „ vita, &c. Hæc, & alia quamplurima poſ„ ſent afferri S. Cyrilli teſtimonia clariſſima, quæ omittenda duximus, ne in longum protrahatur oratio.

S. Leo Papa. Accedat & teſtimonium S. Leonis Papæ in ſermone 6. de Ieiunio 7. menſis. ibi enim ita loquitur: Tunc enim & ſacrificij munda eſt oblatio, & miſericordiæ ſancta largitio, quando tamen hi, qui iſta dependunt, quid operentur, intelligunt. Nam dicente domino: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam

in

in vobis, ſic ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti, & ſanguinis ambigatis; hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur: & fruſtra ab illis, Amen, reſpondetur, à quibus contra id, quod accipitur, diſputatur. hæc Leo ille diuinus.

Eſt præterea teſtimoniũ S. Petri Chryſologi Epiſcopi Rauennatis, qui ſuper illa verba: Quotidianum panem da nobis hodie; ita ſcribit: Hoc petere iubet, quod prohibet cogitare, quatenus cæleſtis Pater, cæleſtem panem cæleſtes filij vt poſtulemus, hortatur. Ipſe dixit: Ego ſum panis, qui de cælo deſcendi. ipſe eſt panis, qui factus in Virgine, fermentatus in carne, in paſſione confectus, in fornace coctus ſepulchri, in Eccleſijs conditus, illatus altaribus cæleſtem cibum quotidie fidelibus ſubminiſtrat. Hactenus Chryſologus.

S. Petrus Chryſologus. *Ser. 67. ſuper orat. Domin.*

Item ſuper locum Lucæ 7. Et ipſe phariſæi domum intrabat; ſic ait: In ſynago-

Serm. 95.

ga, fratres, tunc accubuit, quando occubuit Chriſtus. Sed corpus ſuum Eccleſiæ tranſmiſit ad menſam, vt eſſet cæleſtis caro manducaturis gentibus ad ſalutem:
,, Niſi manducaueritis carnem filij homi-
,, nis, & biberitis eius ſanguinem, non ha-
,, bebitis vitam in vobis. Quemadmodum autem manducetur caro Chriſti: quo modo bibitur & ſanguis eius, norunt illi, qui ſunt Sacramentis cæleſtibus inſtituti. hæc Chryſologus.

S. Ioannes Damaſcenus. *lib. 4. de fide c. 14.*

Sanctus etiam Ioannes Damaſcenus ſic habet: Non eſt figura panis, & vinum corporis, & ſanguinis Chriſti. abſit enim hoc, ſed eſt ipſum corpus Domini deifi-
,, catum, ipſo Domino dicente: Hoc eſt
,, meum, non figura corporis, ſed corpus;
,, & non figura ſanguinis, ſed ſanguis. Et
,, ante hoc ipſis Iudæis: Quoniam niſi man
,, ducaueritis carnem filij hominis, & bibe-
,, ritis eius ſanguinem, non habebitis vitam
,, æternam. Caro mea verus eſt cibus, &
,, ſanguis meus verus eſt potus. Et rurſus:

Qui manducat me, viuet. Proinde omni „
cum timore & conſcientia pura, & indubitabili fide accedamus, & omnino fiet nobis, quemadmodum credimus non dubitantes; & veneremur ipſum omni puritate animi, & corporis. Accedamus ei deſiderio ardẽti, manus in crucis modum formantes: crucifixi corpus ſuſcipiamus & apponentes oculos, & labia & frontẽ, diuinum carbonem concipiamus, vt ignis in nobis deſiderij aſſumens eo ex carbone ignitionem, comburat peccata noſtra, & illuminet corda noſtra, & participatione diuini ignis igniamur, & deificeamur. Carbonem vidit Eſaias. carbo autem ſimplex non eſt, ſed vnitus igni. Hic panis communionis non ſimplex eſt, ſed vnitus diuinitati. non vna & eadem illi natura eſt, ſed vna corporis, & vnitæ diuinitatis altera. quare amborum ſimul non vna natura eſt, ſed duæ. Hæc Damaſcenus, cuius verba ita aperta ſunt ad propoſitum, de quo agimus, vt nulla in-

digeant explicatione.

Theophilactus.

Libet etiam Theophilactum in mediũ afferre, qui in Marcũ c. 14. ita ſcribit: Cũ Dominus benedixiſſet, hoc eſt gratias egiſſet, panem fregit, quod & nos facimus, & orationem adhibemus: Hoc eſt meum corpus, idem, inquam, quod iam accipitis. Non enim tantum figura, & exemplar quoddam eſt Dominici panis; ſed in illum conuertitur corpus Chriſti.
" Dominus enim dicit: Panis, quem ego da-
" bo, caro mea eſt. non dixit, Figura eſt car-
" nis meæ, ſed caro mea eſt. Et iterum niſi
" ederitis carnem filij hominis. & quo mo
" do, inquit, caro mea nõ videtur? O homo propter noſtram infirmitatem iſtud fit; quia enim panis, & vinum ex ijs ſunt, quibus aſſueuimus; ea non abhorremus. Sanguinem vero propoſitum, & carnem videntes, non teneremus, ſed abhorreremus. Idcirco miſericors Deus noſtræ infirmitati condeſcendens ſpeciem quidẽ panis, & vini ſeruat; in veritatem autem

car-

carnis, & ſanguinis transelementat. Hæc Theophilactus. Illuſtrior iſte locus certe, quam vt explicationem requirat. Vide etiam ipſius apertũ teſtimonium in Ioannem cap.6.

Accedat teſtimonium Euthinij in Mat thæum c.64. vbi ſic ait. Et quandoquidẽ nos omnes de eodem corpore, & ſanguine communicamus; igitur omnes vnum ſumus, per myſteriorum communionem, & omnes in Chriſto, & Chriſtus in omnibus. Qui carnem meam edit, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Verbum enim per aſſumptionem carni vniebatur, & caro illa nobiſcum vnitur per ſumptionem. Euthinius.

Item c.9. in Ioannem ita ſcribit ſuper illa verba: Et panis, quem daturus ſum, caro mea eſt, &c. Bifariam, inquit Chriſtus, panis efficitur, ſecundum diuinitatem ſcilicet, & humanitatem. Et quia de diuinitatis ratione docuit, attingit etiam humanitatis modum. Non autem dixit:

„ Quem ego do, ſed, Quem daturus ſum, quod in vltima cæna tandem daturus ſit: cum accepto pane gratias egiſſet, & di-
„ ſcipulis ſuis dediſſet, inquiens: Accipite,
„ & commedite; hoc eſt meum corpus.

Item ſuper illa verba: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, inquit: Hoc dixit in comprobationem, ne problematice, tropice, aut parabolice loqueretur: Qui carnem meam manducat, is in me manet, & ego in illo. in me manet, hoc eſt mihi vnietur, & particeps vitæ erit, quæ in me eſt, & qui in me fuerit, procul dubio in illo ero.

S. Bernardus.

Vltimo denique ſit teſtimoniũ S. Bernardi, qui ſic ait in ſermone de cæna Domini: Non commune, ſed ſolum diuinum eſt, non humanum pietatis Sacramẽtum, non deitatis detrimentum: hic pereat phiſicale nutrimentum: Cibus iſte non eſt ventris, ſed mentis; non eſt enim datus ad ruinas huius vitæ, quæ vapor eſt ad modum parens, ſed ad æternam vitam ani-

mæ conferendam. iſte eſt panis Angelorum, qui neſcit putreſcere; non vadit in ſeceſſum, ſed tendit in excelſum. Illud reduxit hominem, vnde traxit imaginem: Caro autem mea vere eſt cibus. Similiter liquor iſte, quem vides, iam non eſt vinum, ſed ſanguis meus: quem pro te fudi in pretium, tibi reſeruans in altari poculum, in peregrinatione tua præſidium, in exitu de Ægypto conductum, in cælo viaticum. Ego botrus carnis pro ſalute tua portatus ſum ad torcular Crucis, inde eliquatum eſt muſtum tuæ redemptionis. Sanguis autem meus vere eſt potus. Videndus eſt etiam angelicus Doctor S. Tho. in tota lectione 7. ſuper Ioan. 6. vbi mire loquitur, vt moris eſt, circa hoc in tota lectione, cuius verba propter vitandam prolixitatem non referam, quæ ibi facillimo negotio perlegi poterunt & conſiderari.

Gilbertus Abbas.

Item & Gilbertus quõdam Abbas Ordinis Ciſtertienſis in Sermone 7. ſuper

cantica, qui ſunt ſermones ſuper cantica additi S.Bernardo ab illo loco, quo morte præuentus explicationem canticorum reliquerat; ſic ait ſuper illa verba Eſaiæ 43. Ne memineris priorum, noua ego facio: Quid magis nouum, quam quod in myſterio Dominici corporis mutatur materies, & ſpecies ſeruatur? Priſtina manet forma, ſed noua gratia; quia noua ſubſtantia. Noua quidem non in ſe, ſed huiuſmodi ſpecie. Nouum plane, quod carnis Dominicæ ſubſtantia in aliena, & ſpecie ſumptæ ſanctificationis virtutem animæ confert, & ſpiritualem emundat ſubſtantiam in myſterio altaris immaculata caro. Nouum quidem, & ſupra reliquorum vſum Sacramentorum, quod non modo ſanctificationis noua gratia datur, ſed ſubſtãtia naturalis mutatur. nam per Sacramenti benedictionem accipit oblatus panis hanc ineffabilem mutationem, & ex myſtica conſecratione, & verbi viuentis copulatione hæc viuificatrix gra-

tia in carne Chriſti redundat. Caro enim non prodeſt quidquam, ſed ſpiritus eſt, qui viuificat ſacroſanctæ carni cōferēs in ſolēni Sacramento ſpiritualē efficaciā ad viuificandos tanti participes myſterij.

IN GENERALI CITANTUR varij Patres, & Doctores grauiſſimi, qui ſemper explicuerunt ſententiam ſecundæ partis c. 6. S. Ioannis de Sacramento Euchariſtiæ, & de manducatione ſacramentali.

Cap. XI.

HÆC, & alia poſſunt afferri Sanctorum Patrum teſtimonia, quæ ſi ad vnguem in medium afferremus, in infinitum creſceret oratio. Quare modo ſolū aliquos, qui à Doctoribus citantur, adducemus, tantum referentes locum, vbi id affirmant, aliquantulū breuitati ſtudētes, ne beneuolū lectorem tædio afficiamus.

Explicant igitur hoc cap. 6. S. Ioannis

lib.4.de fide c.12.

de Sacramento Euchariſtiæ, & eius reali manducatione in primis S. Damaſcenus, Theodorus Epiſcopus Militem in Armenia Minore in ſuo libro ſuper Euangelia, qui habetur in Bibliotheca Vaticana, vt refert Turrianus in ſuo libro de Euchariſtia. Vbi etiam refert Remigium Epiſcopum in Canone miſſæ, c. 22. Item Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogij, c. 6. Sanctus Epiphanius, hæreſi 55. & contra hæreſim 61. & in hæreſim 26. Gnoſticorum. Item Dionyſius Cartuſianus in Ioannem c.6.ar.18. Albertus Magnus in Ioannem, & Caſſiodorus exponens illud Pſal.109. Tu es ſacerdos in æternum. Citatur etiam ab aliquibus Iſichius Presbyter in 4.cap.Leuitici.S.Gregorius Niſſenus in vita Moyſis Manna figuram exponens. Primaſius in c. 10. & 11. primæ ad Corinth. Iſichius libr. 3. in Leuiticum c.22.Euſebius hom.5.de Paſchate.Palludius Epiſcopus Cappadociæ in hiſtoria Sanctorum Patrum c. 53. Sanctus Chro-

matius

matius Epiſcopus in 6.c.Matthæi. Theodoretus ſuper illud Ieremiæ 11. Venite mittamus lignum in panem eius.& lib.4. hiſtoriæ c.17. D. Proper prima parte de prædicationibus,& promiſſionibus c.39. Sanctus Fortunatus Epiſcopus Pictauienſis in orationem Dominicam. Paſchaſius Corbiēſis lib. de corpore, & ſanguine Domini in Sacramento. Sanctus Iſidorus lib. primo de officio Euchariſtico,c.18.Valfridius Abbas lib.de rebus Eccleſiaſticis. Remigius in Canone Miſſæ. Algerus lib. de veritate corporis, & ſanguinis Chriſti. Rupertus Abbas lib. 3. de Spiritus ſancti operibus. Gaufridus olim Decanus Pariſienſis in Canone Miſſæ ſuper illa verba:Accipite, & manducate ex hoc omnes. Tenet etiã id S. Thomas 3.p. q.7.79.art.1.in corpore, & lectione 6.& 7.in caput 6.Ioannis,& 1.Cor.11.S.Bonauētura in 4.d.11.& Scot⁹ in eodē 4. d.10. Tenet denique id gloſ.ordinaria ſuper S. Ioannem c.6.& gloſ. etiam interlinearis.

Sed

Sed inſuper referam aliquos auctores, qui etiam indubitanter tenent hanc ſecũdam partem c.6.S.Ioannis.de Sacramento Euchariſtiæ intelligi debere,& de eius reali mãducatione,&aliqui ipſorũ condẽnant contrarium ſentientes. Et inprimis videndus Ambroſius Catherinus in ſua Apologia in Caietanum ſuper explicatione huius 6. c. S.Ioannis.Sed licet Dominus Caietanus tomo 3. Opuſculorum tract. 12. manfeſte aſſerat ſuper illa verba: Niſi manducaueritis,&c. locum non poſſe intelligi de manducatione ſacramentali, & id etiam in alijs locis ſuæ doctrinæ confirmet; tamen præſtantiſſimus auctor,Dominicanæ religionis lumen,decus,& ornamentum in eodem tertio tomo Opuſculorum in inſtructione Nuncij, circa errores libelli de Cœna Domini aperte fatetur c. 6. S. Ioannis debere intelligi de manducatione ſacramentali, cuius ibi doctrina altiſſima eſſet omnino videnda. Inſinuat hoc idem Sixtus Senen-

ſis in lib.6.Bibliothecæ Sanctæ,annotatio ne 146. Nec eſt contrarius,immo pro noſtra ſententia eſt Thomas Vbaldenſis cōtra Vbicleſum. tom. 2. de Sacramentis c. 92. & 94. Ioannes Gerſon in lib. contra Vſitas de communione laicorum, & Nicolaus Sāderus, qui librum integrum ſcripſit de hac re Dominus Oſius Cardinalis in ſuo libro defenſionis fidei, c. 39. de Sacramento Euchariſtiæ. Magiſter Soto in tota Repub. Chriſtiana celebris. in 4. diſt. 9. q. 2.ar. 1. & latiſſime Pater Turrianus Societatis I E S V in ſuo lib.de Euchariſtiæ Sacramento, vbi ſic ait; Gratis ergo,& temere tam receptus,antiquus, & probatus ſenſus relinquitur. Et doctiſſimus Pater Franciſcus Toletus ſuper hoc 6.capite Ioannis. Tenet id etiam Rubertus Bellarminus in ſuis controuerſis de Euchariſtia lib. 1. c. 5. Petrus Michael in ſuis Controuerſiis de Euchariſtia dialogo 1. c. 4. Et Georgius Buſtius in ſuis quæſtionibus de Euchariſtia q. 6.

de communione ſub vtraq; ſpecie. Idem etiam tenet Garetius de Eucharistia,& ſacrificio miſſæ. Vcuxamis in ſua armonia Euangelica tom. 2. in Commentario ſuper 6.cap.Ioannis. Tenet id Lindanus in ſua Panoplia Euangelica lib. 4. c. 43. Et nouiſſime Paulus Griſaldus in ſuis deciſionibus fidei, Verbo Euchariſtia. Ioannes Groperius in ſuo libro de præſtantiſſimo altaris Sacramento ex iſto.6.c.Ioannis probat realem Chriſti præſentiam in Sancto altaris Sacramento, omnium fere Patrum ſententijs adductis in huius rei confirmationem. Idem etiam tenet Felicianus Capitonius in ſuo lib. explicationum Catholicarum parte. 2. explicatione 72. ſuper 6.c. Ioannis, & eadem parte explicatione 39. ſuper cap. 26. Matthæi. Idem etiam tenet Henricus Briſſemius Societatis IESV in ſuo tractatu de Euchariſtia c. 1. aſſertione prima. & nouiſſime Pater Poſſeuinus in ſuo libro, qui dicitur refutatio reſponſionis Dauidis

Cythrei.c. 4.& 9.Id etiam affirmat Thomas de Argentina in 4. diſt. 9. quæſt. 1. art. 1.concluſione 2.& diſt. 10.quæſt. 2. ar.1. in reſponſione ad quintum & ſextũ argumentum,& diſt. 12.quæſt. 3. art. 2. ibi, Quintus fructus Euchariſtiæ.Doctiſsimus Melchior Canus in relectione de de pœnitentia,Viguerius in inſtitutionib. titulo de Euchariſtia, Petrus à Soto de inſtitutione ſacerdotũ lect. 3.de Euchariſt. Franciſcus à Victoria in Sũma Sacramẽtorũ.Alphonſus de Caſtro aduerſus hæreſes,tit. de Euchariſtia. Ioannes Suarez Tract.7.in 18. caput Mathæi. Ioãnes Arboreus lib.5.Theſophiæ. c.13.Antonius Democares tom. 2.c.2.de ſacrificio miſſæ. P. Caniſius in Cathechiſmo. Ex quo conſtat hanc communem eſſe omnium Doctorum ſententiam.

Sed probatur iam hanc ſecũdam partem 6.c. Ioannis de Sanctiß. Euchariſtiæ Sacramento eſſe interpretandã aliquibus rationibus.

PONVNTVR SEPTEM rationes cum ſuis Confirmationibus ad idem probandum.
Caput XII.

ET ſit prima ratio: Quia Chriſtus Dominus multo præſtantiorem panem ſe daturum pollicetur, quam Moyſes, ſcilicet carnem ſuam, & ſanguinem: ergo vere realem manducationem promiſſit, quia Manna vere manducabatur.

Secundo, quia Dominus nouum cibum, & manducationem his verbis ſe daturum promittit. at manducatio per fidem noua non erat. Nam & Iudæi multo ante per fidem Chriſtum manducauerunt iuxta illud S. Pauli 1. Cor. 8. Omnes eandem eſcam manducauerunt, & eundem potum ſpiritualem biberunt. Noua igitur eſt iſta eſca, & nouus eſt cibus, qui hic promittitur, qualem nemo patrũ

in deſerto, neque eorum, qui ante tempus illud fuerunt, manducauerunt; ergo.

Tertio, quia Capharnaitiæ dubitabãt, quomodo carnem ſuam daret ad manducandum; qui vere intelligebant ſuammet carnem illis Chriſtum fuiſſe pollicitum. Chriſtus autem Dominus non correxit illorum opinionem, ſed tantum dubitationem reprehẽdit. Ergo ſatis ſuperq. teſtatus eſt ſe propriam carnem ſuam hoc ſacramento polliceri. Certe ſi Chriſtus Dominus aliter intellexiſſet, ſuum ſermonem interpretaretur; ne tot retro abirent, multi etiam ex eius diſcipulis. quare vt ſignificaret ſe iam ſatis aperte ſacratiſſimum hoc myſterium explicauiſſe, cum dixit: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus; dixit poſtea Apoſtolis: Numquid & vos vultis abire? Non obſcure ſignificans ſe iam præſtitiſſe quidquid præſtare poterat, vt myſteriũ hoc declararet: proinde optionem dat, vt credant, vel abeant. *Ioan. 6.*

Et

Et confirmatur primo. Nam ſi diſceptarunt Iudæi, quo modo poſſet Dominus carnem ſuam dare ad manducandũ; & hoc docet Dominus non eſſe impoſſibile, immo neceſſarium, dicens: Amen,
Ioã.6. Amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. conſequens etiam neceſſario eſt, vt non hoc voluerit Dominus reſpondere, ſcilicet velle ſe carnem ſuam dare ad manducandum ſpiritualiter, ac per fidem tantum. Hoc enim non cadebat in diſceptationem, neque id mirum viſum eſſet, ne dum impoſsibile. Ex quo manifeſte ſequitur, vt de carne ſua propria; & vera, vere, & realiter, & ore ſenſibili in Sacramento manducanda reſponderet.

Et confirmatur ſecundo. Nam videtur certe creditu difficile, quod Chriſtus Dominus rem alioqui per ſe claram, & à ſe ſæpius repetitam, voluiſſet tot verbis, & metaphoris obſcurare, præſertim cum videret multos hac de cauſa etiam ſuos

di-

diſcipulos diſceſſuros.

Et confirmatur tertio. Nam S. Ioan. c. 3. Nicodemo exiſtimanti, quando Dominus dixit hominem debêre renaſci, quod hoc carnaliter fieri deberet, maternum rurſus intrando vterum, ſtatim ſe ipſum expoſuit, ſe de ea generatione loqui, quæ fit ex aqua, & Spiritu ſancto. Ergo ſimiliter hic feciſſet in re tam graui murmurantibus Iudæis, & multis quoq; abeuntibus etiam ex diſcipulis; curaretque eorum auferre dubitationem in re tam graui. quod idem etiam ſolebat Dominus facere, ſi quid per parabolas obſcure proponeret, vt patet Matth. 1. de parabolis ſeminantis, & zizaniorum; Et Ioannis 16. explicuit parabolam de paſtore ouibus, oſtio, &c. Idem fecit Ioannis 16. de illis verbis: Modicum & videbitis me, & iterum modicum non videbitis me, &c. Ergo.

Quarto quia Chriſtus Dominus aſſerit ſe daturum hunc cibum credentibus in

ſe. Prius igitur eſt credere in Chriſtum,& poſtea cibum hunc accipere; prius enim dictum eſt:Qui credit in me, habet vitam æternam. & vltra hoc cibus, ſiue panis illis promittitur, ergo vere diſtinguitur fides ab iſto cibo. Vnde manducare carnē Chriſti, & bibere eius ſanguinem non eſt credere in Chriſtum. Nam de hoc iam dixerat Dominus, vt dicebamus,cum dixit: Qui credit in me, &c. Ergo re vera manducare carnem Chriſti,qui eſt cibus, qui promittitur, nihil aliud eſt, quam ipſum ſub ſpeciebus panis realiter manducare.

Et confirmatur. ſi de ſola fide ſermo eſſet, ad quid tot, & tam multiplicatas in medium affert ſententias, in quibus de cibo & potu, & carne ſua, & ſanguine manducando, & bibendo ſermo eſt,cum ſatis ſuperq. fuiſſent verba,quibus, vt crederent in ſe, exortabatur, & credentibus vitam promittebat æternam? ergo, &c.

Quinto id probat Turrianus in ſua

Apologia de Sacramento Euchariſtiæ contra Volanum, c. 11. ex eodem contextu S. Ioannis in illis verbis: Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. ſenſus etenim eſt, ſicut ego miſſus à Patre, id eſt factus homo, viuo propter patrem, non tamquam particeps factus vitæ, vt nos, ſed vere habens vitam per eſſentiam, & proprietatem, vt ait Cyrillus, tamquam proprietate patris naturaliter tranſeunte ad eum, vt ad filium ex ipſo naturaliter exeuntem; ſic qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Sequitur, quod iſta ſimilitudo, ſiue comparatio eſſet falſa; & probatur, quia Chriſtus naturaliter eſt ipſa vita ex patre naturaliter exiens, vnde vitam præſtat alijs per ſe: manducatio autem quæ eſt per fidem, nõ eſt ipſa vita: & ideo non poteſt manducanti vitam per ſe præſtare: ergo ſi de iſta manducatione, quæ eſt per fidem locus intelligeretur, comparatio non teneret.

quia igitur Chriſtus realiter eſt miſſus à Patre, & vere & realiter eſt ipſa vita per eſſentiam, manducanti ipſum tribuit per ſe vitam. & figura Corporis Chriſti, ſiue fides non eſt vita ipſa; & ideo non poteſt manducanti vitam per ſe præſtare. Vt ergo teneat comparatio, de vera, & reali manducatione,& de vera,& reali vita erit locus intelligendus. Vide vim huius rationis in Concilio Epheſino tom. 1. c. 6. titulo de eo,quod Chriſtus per paternam vitam reſurrexiſſe dicitur, & habetur hoc Concilium tom. 1. Conciliorum fol. 944.

Sexto, quia Dominus ait Capharnaitis, & diſcipulis murmurantibus,eo quod dixerit ſe carnem ſuam daturum illis ad manducãdum: Hoc vos ſcandalizat?&c. Si ergo videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius, ſubintelligẽdum,quid dicetis? Si igitur veſtris oculis corporalibus videbitis corpus natura ſua graue, & ponderoſum ſine pennis, & ſine vehiculo Angelorum, propria virtute in ſublime

aſcendere, ſicut ſcriptum eſt: Ipſis cernentibus eſt eleuatus in cælum? Non poterant iam dicere eſſe durum & impoſſibile, quod de corpore ſuo viuifico manducando audiebant. ſi ergo Chriſtus Dominus non loquebatur de vera, & reali manducatione, quorſum ad ſuadendum, quod dicebat, ſuum aſcenſum verum, & realem cum iſta manducatione conferebat, hoc argumento vere Capharnaitas, & diſcipulos potius confirmās in ſua opinione, & errore, quem habebant?

Septima ratio eſt, quia in diuina ſcriptura, quando Deus iuramentū aliquod præſtat, verba eius in ſenſu litterali accipi debent, hoc eſt ſimpliciter, atque in eo plano ſenſu, quem ipſa verborum ſignificatio intellectui humano prima fronte ſe præſentat: & ratio hæc eſt. nam non licet iuramento confirmare niſi ſententias apertiſſimas, & certiſſimas, & quæ non poſſint in alium ſenſum retorqueri. Ergo quando Chriſtus dicit: Amen, amen di-

co vobis: Niſi manducaueritis, &c. quia Iuramentum præcedit, illa verba in ſenſu litterali ſunt accipienda: ita vt caro habeat propriam ſignificationem carnis, & manducare ſignificet corporalem actionem, quia cibus traijcitur ab ore ad ſtomachum. Id autem non fit, quando creditur in Chriſtum, ſed tantum, quando ſumitur in Euchariſtia. Loquitur ergo Dominus hic de Sacramento Euchariſtiæ.

Et confirmatur. hæc ratio. Nam quādo Deus nobis mortem æternam in ſcripturis comminatur, eius verba in ſenſu litterali intelligēda ſunt; & præterquam quod in teſtamēto veteri ſunt quamplurima loca, in nouo ſunt illa conſideratione digna Ioan. 3. Amen, Amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre Regnum Dei, &c. Et Ioan. 13. Si nō lauero te, non habebis partē mecū. Cum igitur verba Chriſti in hoc Euangelico comminatoria ſint, in ſenſu litterali accipienda ſunt; & ratio id perſuadet.

Nam eſt inintelligibile, quod Chriſtus Dominus ſub pœna mortis æternæ præcipiat manducationem iſtam, & hoc verbis ita obſcuris, vt ex ipſius præcipientis verbis colligi non poſſet, quid vellet, vt tantum periculum euitaremus; Ergo.

ADHUC ALIIS DECEM validiſſimis rationibus oſtenditur ſecundam partem c. 6. debere explicari de manducatione ſacramentali. Caput XIII.

OCtauo, quia S. Auguſtinus affirmat hanc regulam eſſe perpetuo obſeruandam in explicanda diuina ſcriptura, ſecundum litteralem ſenſum, vt nunquã diſcedatur à propria ſignificatione verborum ſcripturæ, niſi vel manifeſta falſitas, vel abſurditas cogat nos ſcripturam illam figurate interpretari, & non ſecundum propriam interpretationem, ſicut fieri debet in expoſitione canticorum, & *lib. 3. de doct. Chri. c. 10.*

omnium parabolarum. Sed ſi verba iſta: Caro mea vere eſt cibus,& ſanguis meus vere eſt potus, verbi gratia, ſi de Sacramento Euchariſtiæ intelligantur, & de vera, & reali manducatione, & bibitione, nulla ſequitur falſitas, nulla abſurditas; ergo,&c.

Et confirmo, quia ſi verba iſta non accipiuntur proprie,ſed ſecundum figuratam loquutionem: ergo ſimiliter diceretur de verbis Chriſti Domini, quibus vſus eſt in inſtitutione venerabilis Sacramenti Euchariſtiæ: Accipite, & manducate;hoc eſt corpus meum:& accipite,& bibite;hic eſt ſanguis meus;quod figurate videlicet accipi deberent, quod eſſet contra fidem. Ex iſto enim loco habemus manifeſtam doctrinam inſtitutionis Sacramenti Euchariſtiæ. Ergo ſicut hic non licet confugere ad figuratam interpretationem; quia verba ſunt clariſſima;ergo nec in hac parte ſecunda 6. Capitis S. Ioannis. Vbi verba apertiſſima

ſunt; dicitur enim: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus: Ergo

Et confirmatur ſecundo ex collatione horum verborum cum verbis cœnæ. tanta enim inter illa ſimilitudo eſt, vt aperte videatur conſtare in Sacratiſſima Cœna id reddi, quod Ioan. 6. fuerat promiſſum. Hic enim dicitur: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. ibi autem: Accipite, & manducate; hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis tradetur in remiſſionem peccatorum, &c.

Et confirmatur tertio, quia ex modo loquendi diuinæ Scripturæ, niſi aliter ex ipſo contextu conſtet, quotieſcumque apponitur illa particula vere, ſumitur pro realiter, vt patet Geneſ. 20. Vere ſoror mea eſt. & Ioſue 7. Vere peccaui domino Iſrael. & 4. Reg. 5. Vere ſcio, quod nõ ſit alius Deus in vniuerſa terra. Math. 14. Vere hic filius Dei eſt, & Matth. 26. Vere tu ex diſcipulis eius es. Marci 14.

Vere hic filius Dei erat. Matth. 27. Surrexit Dominus vere. Marci. 15. Vere hic homo filius Dei erat. & in actis dicitur: Nũc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, &c. Ergo cum hic dicitur: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, & : Panis enim verus eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo: Hic, vere ſumitur pro realiter ſumere, & manducare carnem, & bibere ſanguinem, quod futurum Chriſtus promittebat, non vt propria perſona dilaniaretur in partes, quæ ſecaretur; ſed ſub ſpeciebus panis, & vini in Sacramento. Ergo vere hic loquitur S. Ioannes de mãducatione ſacramentali.

Nono, quia ſi de manducatione per fidem eſſet ſermo, nulla eſſet ratio, cur ſæpe caro Chriſti cibus dicta ſit. Nam fides non in carnem, ſed in totum Chriſtum eſt. Etenim diuinitas, & tota humanitas Chriſti eſt fidei obiectum, & fide percipitur, & manducatur. Singulari igitur

tur modo caro cibus dicitur; quia ex vi conſecrationis panis in Sacramento, ipſa ſolum caro in cibum realem datur, licet per concomitantiam & ſanguinem, & diuinitatem ipſam ibi eſſe manifeſtum ſit.

Decimo, quia nuſquam accepimus præceptum de Euchariſtia ſumenda, niſi hoc c.6. S. Ioannis. nam apud alios Euangeliſtas ſolũ reperitur inſtitutio, & quod quoties hoc Sacramentum ſumitur, id fiat in memoriam Dominicæ paſſionis.

Et Confirmatur. Nam valde abſurdũ eſt Euangeliſtam prope diuino ingenio præditum; & ſummis myſteris declarandis diligentiſſimum, de hoc eximio Sacramẽto nihil ſcriptum reliquiſſe, præſertim cum multa ab eo dicta ſint de baptiſmo: at nuſquam attigit hanc materiam niſi iſto loco, ergo vere hic voluit agere de Sacramento Euchariſtiæ, ne diuinam iſtã materiam, & excellentiſſimam intactam relinqueret.

Vndecimo, quia Chriſtus Dominus

ſolebat maxima quæq. myſteria, antequã traderet, & effectu ipſo completa videretur, explicare, vt patet de baptiſmo, de eius paſſione, Reſurrectione, & de eius in cælum Aſcenſione. Vnde dicitur Ioa. 10. & 13. & cum factum fuerit, credatis, vel vt non ſcandalizamini. Quis ergo dubitet, quod in hoc ſacro, & recondito myſterio id facere voluerit, vbi tanta fidei obedientia requirebatur? At non eſt alius locus, vbi fecerit, ſi hoc loco id non exhibuit; Ergo &c.

Duodecimo, quia, vt ait Catherinus in ſua Apologia, verba illa Domini ad futurum reſpicientia, cum ait: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita; quid aliud ſignificabant, quam Sacramentum diuinum promittere, quem videbat in vltima cœna nobis eſſe daturum? Quare Venerabilis Beda dixit: Hunc panem tunc Dominus dedit, quando myſterium corporis, & ſanguinis ſui diſcipulis tradidit; Ergo.

Et cõfirmatur primo, quia ſi iſto loco ſignificaret Chriſtum, vt fide percipitur ſine illa relatione ad ſpecies ſacramentales, non diceret in futurum dabo. Nam fides in Chriſtum res eſt omnium temporum. Vnde non oportebat iſtam manducationem per fidem in futurum promittere; quia iam fuit, & erat. Qua etiam ratione Patres veteris teſtamenti manducauerant Chriſtum. Corpus etenim Domini, vt ſumitur ſola fide, non defuit veteribus, vt patet; Ergo.

Et cõfirmatur ſecundo, ex diſcrimine, quem ponit Chriſtus Dominus inter panem, quem ipſe dat, & quem dat pater. Nam de patre dicit in præſenti: Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. de ſe autem in futuro: Panis, quem ego dabo, &c. Quia nimirum donum Patris iam aderat, quod eſt filius eius; at Donũ filij, id eſt caro, in Sacramento futurum erat. Id ergo Chriſtus Dominus adimpleuit, cum dixit: Hoc eſt corpus meum.

Decimotertio. Nam S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Euangeliſtarum ponit hãc quæſtionem; Cur inquam, Ioannes c. 13. narrans vltimam cœnam, quam fecit Dominus cum Diſcipulis, & longum ſermonem, quem habuit cum illis, Cur, inquam, nullum verbum fecit de Sacramento Eucharistiæ, quod in illa cœna Chriſtus inſtituit, ſicut cæteri Euangeliſtæ id fecerũt? Et reſpondit S. Auguſtinus: Propterea id Ioannem non præſtitiſſe; quia iam ſatis ſuperq. de hoc Sacramento, & eius neceſſitate, & fructu tractauerat, ſcilicet in c. 6. Item & S. Chryſoſtomus homil. 83. in Matth. declarans illa verba Chriſti: Accipite, & mãducate; hoc eſt corpus meum, ponit hãc quæſtionem, Quo modo Apoſtoli audientes Chriſtum dicentem: Panem, quem illis porrigebat, eſſe corpus ſuum, & hortantem, vt corpus ſuum manducarent, Quo modo, inquam, non expauerunt, non ſtupore, & horrore impleti ſunt? Reſpondit Chryſoſtomus: Quia iam

de eo Sacramento fuerat dictum, videlicet Ioan.6.

Decimoquarto, quia ea ratione Dominus diuini huius cibi doctrinam traditurus, inſigni miraculo illam comprobauit, & turbam diſpoſuit, vt qui quinque panibus innumeram potuit ſatiare multitudinem, & poſtea illis cibatis tot ſuperauerunt fragmenta, vt colligerent 12. cophinos fragmẽtorum, crederetur poſſe miro modo carne ſua omnes credentes cibare. Hac etiam de cauſa Dominus meminit Manna, quod figura ſit huius ſacratiſſimi cibi, vt quantum figuratum figuræ præſtaret, verbis apertiſſimis declararet.

Decimoquinto. Nam quando dicitur: Patres veſtri manducauerunt Manna, comparatio non fit inter Manna, & corpus Chriſti, vt ſumitur ſola fide, ſed vt ſumitur in Sacramento. Quod manifeſte conſtat tum ex Paulo 1. Cor. 10. Vbi com parat tranſitum maris rubri cum baptiſ-

mo, & Manna cum Euchariſtia: tum etiam, quia corpus Domini, vt ſumitur ſola fide, non defuit veteribus, vt perſpicuum eſt.

Et cõfirmatur. Nam Iudæi obijcientes Chriſto Manna, ſignum ab illo petebant, quod eſſet ſimile illi; quod non ſine magno miraculo Patribus fuit datũ; & Chriſtus reſpondit ſe daturum illis panem de cœlo verum. Nullum autem eſt miraculum in manducatione Chriſti per fidem ſimile illi. Promiſit ergo Chriſtus ſe daturum panem de cœlo verum, nempe ſe ipſum in Sacramento, quod eſt maximum miraculum, de quo dicitur: Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.

Decimoſexto. Argumentor ex collatione huius cap. cum 3. cap. eiuſdẽ Euãgelij. Sicut enim c. 3. Dominus, vt baptiſmum inſinuaret, dixit Nicodemo, & aliquoties repetiuit; Oportet vos naſci denuo,

nuo, & niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c. ita hoc loco, vt inſinuaret alterum Sacramentum, nimirum Euchariſtiam, dixit, & repetiuit ſæpius: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Et qui manducat meam carnem, &c. Et ſicut eo loco in admirationem rapiebatur Nicodemus, neque poterat intelligere, quo modo fieri deberet illa regeneratio; ſic etiam hoc loco mirantur Diſcipuli, quo modo poſſit fieri iſta manducatio.

Decimo ſeptimo, & vltimo, quia ita videtur ſenſiſſe Eccleſia, cum in feſto inſtituto Sanctiſſimi Corporis Chriſti in Miſſa legitur hoc Euangelium Ioan. 6. Nec valet dicere, quod illud legit Eccleſia per quandam accommodationem, ſicut in feſto Aſſumptionis legitur Euangelium de ingreſſu Chriſti in Caſtellum Martæ, & Magdalenæ. nam hoc fit, quia in ſacra ſcriptura nihil inuenitur ſcriptũ de hiſtoria Virginis: at de feſto Corpo-

ris Chriſti habebat Eccleſia in Euangelio verba ipſa Chriſti; quibus vſus eſt in vltima cæna, quæ poterat aſſumere pro Euangelio Miſſæ, ſicut pro epiſtola vſurpat verba Pauli 1. Cor. 11. Quibus memorat inſtitutionem Euchariſtiæ factam à Chriſto. cum igitur aſſumat Eccleſia verba hæc Ioan. 6. indicium eſt ſenſiſſe verba ſecundum litteralem ſenſum pertinere ad Sacramentum Euchariſtiæ.

Quare cum illorum doctrina, & expoſitio de manducatione per fidem non ſit conformis ſententiæ communi ſanctorum Patrum, nec multum fidei noſtræ dogmatibus faueat, merito omnino reijcienda eſt.

IAM RESPONDETVR AD Argumenta adducta pro parte contraria, & peculiariter ad primum, & ſecundum argumentum reſpondetur.

Capue XIIII.

PRobauimus hucuſque Conciliorum auctoritatibus, Sanctorum Patrum apertiſsimis teſtimoniis validiſsimiſq. rationibus hanc ſecundam partem 6.cap.S.Ioannis,in qua cum Capharnaitis ſermo à Chriſto Domino habitus eſt, debere intelligi de admirabili Euchariſtiæ Sacramento: Et quod, quando hic Dominus ſuam carnem ad mãducandũ ſe daturum pollicetur,ſuũq. ſãbratiſſimum ſanguinem ad bibendum: loquitur de manducatione, & bibitione reali, & Sacramentali,quæ fit cum ſumitur diuinum Euchariſtiæ Sacramentum:

Nunc reſtat pro complemento huius cõtrouerſiæ, vt argumentis pro contraria parte poſitis ſatisfaciamus. Quod ſi in horum argumẽtorum ſolutione aliquantulum aliquibus videbor diuagari, non erit hoc mihi vitio tribuendum, neque exiſtimandum me in maximas anguſtias eſſe coniectum propter argumentorum difficultatem, ita vt coactus ſim horum ſolutionem in longum protrahere, ſed id in cauſa fuit, videlicet huius Sacratiſſimi myſterij dignitas, & excellentia, de quo quædam in propoſitis argumentis in medium afferruntur, quæ non poſſunt ſilentio præteriri. Ideo hæc eadem nos, qua poterimus breuitate, Deo dante, vna cum argumentorum ſolutionibus perſtringemus.

Ad primum ergo argumẽtum reſpondetur verum eſſe, quod aliquando in diuina ſcriptura manducare, & bibere debet ſumi ſpiritualiter, vt patet in locis allegatis ibi in argumento; ſed illa loca non

poſſunt aliter explicari, vt patet ex ipſo contextu ſermonis. nam cum ſapientia res ſpiritualis ſit, non poteſt premi dentibus, nec realiter manducari. Ideo oportet ad manducationem ſpiritualem recurrere. Similiter etiam dicendum de pane vitæ, & intellectus. nam quod paſcit intellectum, clarum eſt, quod non eſt panis corporalis; qui debet manducari; intellectus enim cum ſpiritualis ſit, alimento ſpirituali debet cibari, vnde iſta manducatio, & bibitio, videlicet aquæ ſapientiæ, neceſſario debet eſſe ſpiritualis. at vero cum hic dicitur: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, verbi gratia, ſi contextum ipſum ſermonis perpendamus, non opus eſt ad ſpiritualem manducationem, quæ eſt per fidem in Chriſtum paſſum, deuenire. Nam ſi de reali manducatione, & bibitione hoc intelligamus, quæ fit ſub ſpeciebus panis, & vini in Euchariſtiæ Sacramento; nullum ſequitur inconueniens, & optime

hæc ſcriptura ſic intelligetur. ergo ita hunc locum debemus interpretari iuxta regulam ſupra traditam ex S. Auguſt. lib. 3. de doctrina Chriſtiana c. 10. Vbi dicit, quod, cum diuinam Scripturam debemus interpretari ſecundum litteralem ſenſum, non eſt diſcedendum à propria ſignificatione verborum ſcripturæ; niſi manifeſta falſitas, vel abſurditas cogat nos ſcripturam illam figurate interpretari. quare cum hic id non eueniat (nihil enim abſurdum, nihil contra mores, aut contra fidem eſt, ſi realem manducationem exponamus; immo ex Euangelio & ex Paulo habemus hūc eſum carnis Chriſti realem) non igitur debemus hic, ſecundam partem c. S. Ioannis ſine neceſſitate ſpiritualiter, & figurate interpretari. In locis autem citatis in argumento, vt diximus cogit nos neceſſitas illa loca ſpiritualiter interpretari de manducatione, & bibitione ſpirituali, vt dictum eſt; & ideo ita ſunt interpretanda.

Ad ſecundum argumentum reſpon-
det optime Caietanus S. Ioannis 6. ſuper
illa verba: Patres veſtri manducauerunt
Manna, & mortui ſunt. Vbi ait, quod,
quantum eſt ex parte huius cœleſtis pa-
nis, ſufficiens eſt ad conferendum come-
denti nunquam mori ſpiritu, hoc eſt nun-
quam peccare mortaliter; ſed ex defectu
liberi arbitrij prouenit mors ſpiritus. abij-
cit enim à ſe vitam ſpiritus ille, qui pec-
cat. qua ratione, non ex defectu panis, &
vitæ prouenit mors ſpiritus, ſed propter
defectum liberi arbitrij deficientis; & ſi-
militer etiam, quãdo infra dicitur: Si quis
manducauerit ex hoc pane, viuet in æter-
num, intelligitur, inquit ipſe, quod viuet
in æternum, quantum eſt ex parte panis.
Id autem fere ſemper contingit in huiuſ-
modi promiſſionibus, vt Lucæ 11. Omnis
qui petit, accipit. Conſtat autem, quod
multi non accipiunt. Vnde ait Iaco-
bus c. 4. Quia non bene petunt. Præterea
Marci vltimo dicitur: Qui crediderit, &

baptizatus fuerit, ſaluus erit. & tamen Actorum 8. Simon, poſtquam aqua baptiſmi ablutus eſt, perijt: Item Ioelis 2. Quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Et tamen Prouerbiorum 1. dicitur: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, eo quod exoſam habuerint diſciplinam. Eodem etiam modo Ioan. c. 4. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Nam multi ſunt, qui habita ſemel gratia, illam amiſerunt; & iterum ſitierunt. Reſpondendum eſt enim, quod quantum eſt ex parte aquæ ſpiritualis gratiæ, tollitur ſitis, non ad tempus, ſed ſimpliciter, & in perpetuum. ſine pœnitentia ſiquidem ſunt dona Dei. Ad Roma. 11. Sed ex defectu liberi arbitrij euacuantis ſe aqua ſpiritualis gratiæ, prouenit noua ſitis. Hoc eodem modo loquendi vtuntur Theologi in 3. par. S. Thom. de Paſſione, & ſatisfactione Chriſti Domini, quæ quantum eſt de ſe, eſt infiniti valoris, & efficaciæ; quia eſt ſatisfa-

ctio ſuppoſiti diuini, & ita de ſe ſufficiens pro infinitis mundis, ſi eſſent: tamẽ quod huic, vel illi non proſit, prouenit ex defectu liberi arbitrij deficientis; & non volentis applicationem huius infiniti boni. qua ratione merito dicitur Oſeæ 13: Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum. Sic etiam in propoſito, licet verum ſit, quod multi, licet manducent hunc panem in Sacramento Euchariſtiæ, numquam ſint vitæ ſpiritualis participes; ac verum etiam ſit, quod plerique facti participes vitæ, quæ in Chriſto eſt, poſtea ab ea excidant, & moriãtur in æternum; hoc tamen non eſt ex defectu diuini Sacramenti, quod quatenus eſt de ſe, dat vitam æternam; ſed hoc prouenit ex libero arbitrio deficiente.

Ad Confirmationem reſpondetur, quod omnes illæ ſentẽtiæ veriſſimæ ſunt, ſi de pane iſto cæleſti intelligantur, quatenus eſt de ſe; habet enim ex ſe manducanti dare vitam æternam. & ille, qui

manducat hunc panem, & bibit ſanguinem Chriſti, quatenus eſt ex ipſo Sacramento; habet hoc, vt dictum eſt, quod manet in Chriſto, & Chriſtus in eo. Et iuxta hunc modum prædictæ Sententiæ ſunt intelligendæ, neque oportebit addere digne, vel indigne. Nam ſi indigne accipiatur, quod iudicium homo ſibi manducet, & bibat, prouenit ex ipſo, qui ſine debita diſpoſitione accedit, non ex virtute Sacramenti, cuius eſt vitam æternam manducanti dare. Quatenus autem argumentum addit de differentia inter Manna, & hunc panem vitæ, illam optime ponit Caietanus loco ſupra citato, vbi ſic dicit: Quod differētia iſta non eſt penes mori corpore, puta quod alter permiſerit mori corpore, aliter vero tollat mortem corporis, vel quod aliter promiſerit mori ſpiritū, aliter vero tollat mortem Spiritus. Neuter enim ſenſus eſt litteralis; ſed differentia iſta eſt penes idem proportionaliter, ſcilicet penes comen-

dentes reſpectiue. eſt enim ſenſus, quod Manna ſe manducantibus non conferebat non mori corpore, cum manducantes ipſum ederent ad hunc finem, videlicet ad vitam corporis. Iſte autem panis manducantibus ſe confert non mori illa vita, ad quam ſeruandam manducatur. Manducatur enim propter vitam ſpiritus, & confert non mori Spiritum, &c. Dilucide, & optime explicat hunc locum Doctiſſimus Magiſter Toletus ſuper Ioannem ita dicens in Commentario ſuper illa verba: Patres veſtri manducauerunt Manna, &c. Reſpondeo, qui manducat hunc Chriſti panem mori quidem corpore, tamen virtute eius in vitam poſtea ſuſcitari æternam, & immortalem, & huius vitæ gratia datur. Non enim panis hic ad vitam hanc corruptibilem ſuſtentandam confertur, ſed ad immortalem, & æternam, ac beatam, & eam efficit poſt hanc corruptibilem. at Manna illud datum erat dumtaxat ad vitam hanc cor-

ruptibilem tuendam; neque tamen eam ita tueri potuit, vt a morte preſeuaretur: mortui enim ſunt illi, neque virtutem habet eos ſuſcitandi, & ad vitam reuocandi. Eſt ergo differentia, quod Manna à morte non liberat, quia mortui ſunt illi, neque virtute Mannæ ſuſcitabuntur; & qui manducat panem Chriſti, liberantur à morte: quia etiam, ſi moriantur manducantes, virtute tamen eius panis ſuſcitabuntur ad æternam, & beatam vitam. Recte ergo Cyrillus lib. 4. cap. 10. dicit, illud Manna nullam perpetuæ vitæ dediſſe virtutem; at panis hic Chriſti æternæ vitæ relinquit in manducante virtutē: & quamuis moriatur, virtute tamen Chriſti manducati, & in eo per gratiam, & ſpiritum manentis, ſuſcitandus ſit in æternam vitam. hæc Toletus, ex quibus plane conſtat differentia inter Manna, & hunc panem vitæ, de quo Chriſtus loquitur, & ex dictis patet ſolutio ad propoſitam confirmationem.

Solum hoc notandum eſt, quod propter differentiam, quæ eſt inter Manna, & panem vitæ, veriſſime Ioan. 6. à Domino dictum eſt Manna Iudaicum non fuiſſe verum panem hominis, hoc eſt non fuiſſe perfectum panem, qui perfecte aleret, & paſceret hominem: ſed fuiſſe tantum panem vmbratilem, & figuratiuũ; erat enim vmbra, & figura Chriſti, qui futurus erat verus panis. Et hoc voluit ſignificare Paulus 1. Corint. 10. cum loquens de Manna dixit Iudæos in deſerto manducaſſe eandem eſcam ſpiritualem, quam nos Chriſtiani manducamus; illud verbum, ſpiritualem, duo ſignificare poteſt, vel quod illa eſca ſpiritualiter, & myſtice ſignificabat panem hunc ſacratiſſimum omnium Chriſtianorum, vel quia Iudæi à Deo illuminati comedentes illud Manna, ſpiritu & mente intelligebant illud eſſe figuram noſtri panis, quem ipſi iam tunc per fidẽ, & deſiderium manducabant. Hæc autem ea ratione in medium adduxi, vt differen

tia, quam cõſtituimus inter diuinum hũc panem, & Manna, melius conſtare poſſit. Sed hæc ſufficiant de iſto ſecundo argumento cum ſua confirmatione.

RESPONDETVR AD TERTIVM Argumentum. Et explicatur illa ſumma Saluatoris: Niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis vitã. Cuius occaſione tractatur de manducatione ſacramentali ſub vtraque ſpecie, & oſtenditur, quibus præcipiatur. Caput XV.

PRopter difficultatem tertij argumenti hæretici in eam deuenerunt amentiam, vt exiſtimarent communionem ſub vtraque ſpecie eſſe de iure diuino hic à Domino omnibus etiam laicis præceptam. Cum enim verba illa: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam; de manducatione, & bibi-

tione intelligantur, non videtur, quia ratione magis manducatio, quam bibitio præcipiatur; ac per conſequens vtraque ſpecies omnibus præcipitur. Quod argumentum tantam vim habuit apud ali quos Catholicos, vt illo conuicti contra communem ſanctorum ſententias totum hunc Sancti Ioannis contextum in ſecunda parte de mãducatione ſpirituali, quæ per fidem fit, exponendum eſſe indubitanter affirmauerint; quaſi hæreticarum ſofiſtica argumenta, & fallaces ſententiæ habeant efficaciam, vt legitimus ſcripturæ ſenſus relinquatur. Ad argumentum igitur.

Eſt illa optima ſolutio, quæ ibi propoſita eſt, quæ plane eſt deſumpta ex Concilio Tridentino ſeſsione 21. cap. 1. Cuius Concilij verba in toto illo cap. ſunt afferenda; quia in eo continetur fere omne id, quod à nobis in hac diſputatione eſt adductum; & eſt etiam determinatio eorum, quæ dicentur in poſterum circa cõ-

munionem ſub vtraque ſpecie. Ait ergo ſic Concilium: Itaque ſancta ipſa Synodus à Spiritu ſancto, qui ſpiritus eſt ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus Conſilij, & pietatis, edocta, atque ipſius Eccleſiæ iudicium, & conſuetudinem ſecuta declarat, ac docet nullo diuino præcepto laicos, ac clericos non conficientes obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendum, neque vllo pacto ſalua fide dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat. Nam & ſi Chriſtus Dominus in vltima cœna venerabile hoc Sacramentum in panis, & vini ſpeciebus inſtituit, & Apoſtolis tradidit; non tamen illa inſtitutio, & traditio eo tendunt, vt omnes Chriſti fideles ſtatuto Domini ad vtramque ſpeciem accipiendam aſtringantur.

Hæc eſt ſolutio huius tertij argumenti propoſiti.

Sed neque ex ſermone illo apud Ioannem 6. recte colligitur vtriuſq. ſpeciei communionem à Domino præceptam eſſe, vt cumq. iuxta varias ſanctorum Patrum,

trum, & Doctorum interpretationes intelligatur. Nam qui dixit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. & qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam; dixit etiam: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. & deniq. qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo; dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

His accedit, quod Concilium etiam ſeſſione 13. cap. 3. ait, pro complemento huius ſolutionis; ſic enim dicit ad finem Capitis: Quapropter veriſsimum eſt tantumdem ſub alterutra ſpecie, atque ſub vtraque contineri, totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quauis ipſius ſpeciei parte. Totus item etiam ſub

vini

vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit hæc Concilium. Ex quo plane conſtat. ſolutio ad argumentum.

Si enim ſumendo ſpeciem panis ſacramentalis, totus integer Chriſtus viuus cũ ſuo ſanguine, vt fides docet, ibi ſumitur & manducatur; manifeſtum eſt, quod cum ſit ſub illa ſpecie panis Chriſti ſanguis per concomitantiam, vt etiam Concilium declarat, quod ſumendo ſpeciem panis, ſumetur etiam Chriſti ſanguis: atque ita verificabitur de manducãte ſpeciem panis, quod manducet, & bibat ſanguinem Chriſti.

Sed dices, vt in argumento, quod talis non poteſt dici bibitio, cum nihil ſumatur per modum potus. Adhoc reſpondet Caietanus ſuper c. iſto 6. Ioannis, & optima eſt ſolutio, & notanda; & ſic dicit ſuper illa verba: Qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet. Et cum dixiſſet ſe eſſe panem vitæ, declarat nihilominus, quod tollit non ſolum famẽ,

ſed ſitim; vt eleuemur ad intelligendum, & penetrandum, quod quæ ſunt diuiſa in inferioribus alimentis (Nam alimenti ſicci eſt tollere famen, humidi vero tollere ſitim) vniuntur in rebus ſuperioris ordinis, nec ibi eſt diſtinctio huiuſmodi alimentorum; ſed plenam vtrique appetitus ſatietatem panis vitæ fert ſecum. hæc Caietanus. Sed quia quomodocumque ſumas, numquam dabitur, quod illa ſumptio exterior ſpecierum panis bibitio dici poſſit: quia vere nihil hic ſumitur per modum potus, licet id ſumatur, quod tollit famem; & ſitim. Propterea non videtur habere verum illa ſententia: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Et Ideo reſpondeo ad argumentum, quod exterior illa bibitio non præcipitur in illa ſententia ſimul cum manducatione. Nam ibi illa particula, &, ſumitur pro vel; ita vt ſenſum diſiunctionis habeat,

Niſi manducaueritis vel biberitis; ſic vt ad diſtinctas ſpecies ſacramentales verba poſſint applicari. Quare Dominus ſolum id intẽdit, vt ſe ipſum nobis in perfectam refectionem ad habendam vitam æternam debeat communicare. Quod autem id fiat ſub ſpecie potus, aut ſub ſpecie cibi, id non eſt præcipuum intentum Saluatoris. Et ratio eſt, tum quia, vt dictum eſt, ſumendo quamlibet ſpeciem, id ſumitur, quod poſſit famen, & ſitim tollere; tum etiam quia à principio naſcentis Eccleſiæ ſemper fuit probata communio ſub vna tantum ſpecie, vt poſtea dicemus: qua ratione Eccleſia ipſa, quæ eſt optimus interpres ſcripturæ, probat ex hoc manifeſte verba eſſe diſiunctiue intelligenda, cum ſolum ſub vnica tantum ſpecie non conficientes ſacrum myſterium fuerint cõmunicati: tum præterea quia Dominus ipſe dixit: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Nõ ergo neceſſarius eſt potus ſub ſpeciebus

vini; nam ſi panis ſpecies ſumatur, vita etiam æterna ibi poſita. Item S. Paulus. 1.Cor.11.ait:Quicumque manducauerit panem hunc,vel biberit calicem indigne. Ex quibus verbis ſi vnum, vel alterum indigne ſumatur,reum eſſe corporis,& ſanguinis Domini conſtat. Quare non vtrũque neceſſario eſſe ſumendum manifeſtũ eſt,vt ait S.Paulus.

Quod autem ſit diſiunctiue intelligenda hæc ſentẽtia, poteſt etiam apertiſſime probari ex eo, quod eſt phraſis diuinæ ſcripturæ vſitata,vt hæc particula,&, ſumatur pro vel,vt apud peritos linguæ Hebraicæ apertum eſt,& poteſt ex multis teſtimonijs diuinæ ſcripturæ confirmari. Apoc.c.1.Beatus qui legit,& audit verba prophetiæ huius.id eſt,qui legit,vel audit Exod.21.& 15. Qui percuſſerit Patrem, & matrem morte moriatur. Non enim debet vnum,& alterum occidere, vt morte moriatur. quare intelligendum eſt patrem,vel matrem. Iob,31. Si declinauit

greſſus meus de via, & ſi ſecutus eſt oculus meus cor meum, & ſi in manibus meis adhæſit macula; ſi deceptum eſt cor meũ ſuper muliere, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum, &c. Clarum eſt omnia ſenſum facere diſiunctum; ita vt & ſi ſolum vnum iſtorum faciat, pœna afficiatur. Similiter & in hoc loco particula illa, &, ſumitur pro vel; ita vt ſenſum faciat diſiunctum, & neceſſitas præcipiatur ſumendi vnam, vel alteram ſpeciem. Hæc expoſitio eſt ſapientiſſimi Toleti, & aliorum; ex qua facile manet ſolutum argumentum, nec oportet ad ſpiritualem manducationem, & bibitionem confugere, vt inſinuabat argumentum. Sed optime intelligitur hæc Domini ſententia, ſi de ſacramentali manducatione locus intelligatur. Satis enim eſt vnam, vel alterã ſpeciem ſumere, vt vita comparetur æterna. Videnda eſt ſolutio, quam adducit Rubertus Bellarminius in ſuis Controuerſijs de Euchariſtia, quæ eſt optima ſolu-

tio.

tio; & ipſe ait eſſe communem, videlicet vim huius præcepti non conſiſtere in modo ſumendi, ſcilicet ſub ſpecie panis, vel vini, ſed in ipſa re, quæ ſumenda eſt. Quare licet verba ſonēt, vt ſumamus carnem per modum cibi ſub ſpecie vini per modum potus; tamen mēs legiſlatoris eſt vt res ipſas, id eſt veram carnem, & verum ſanguinem ſumamus. quæ res tam integre ſumuntur ſub vna ſpecie, quàm ſub duabus. Sicut medicina corporalis non prodeſt, quia ſumitur per modum cibi, aut potus, ſed quia re ipſa habet virtutem ſanandi.

Sed quia in argumento mentionem fecimus de ſumptione Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie, quam omnibus etiam laicis & clericis, non celebrantibus ad ſalutem eſſe neceſſarium multi hæretici aſſerunt, hac ſententia Ioannis adducti à nobis explicata; circa hoc erit rationi conſonum aliquid in re tam graui adducere contra graſſantem iſtam hæreſim, ne

quod

quod fides docet, & antiqui patres ſtatuerunt ſilentio præteriſſe videamur. Sed breuitati ſtudentes, quia non eſt inſtituti noſtri prolixum de hac re inſtituere ſermonem, ſolum præcipua capita rerum perſtringemus: quia multi ſunt auctores grauiſſimi, qui de hac materia præclariſſima commentaria contra hæreticos noſtri temporis in lucem ediderunt, qui facillimo negocio videri poſſunt: qui ſunt fere illi omnes, qui adducti ſunt pro noſtra ſententia, & de manducatione ſacramentali explicant c. 6. S. Ioannis. Videndus etiam S. Thom. 3. p. q. 80. ar. 12. & ibi caietur præcipue q. 2. & 3. & recolendum in memoria decretum Concilij Tridentini ſupra adductum, vbi ſtatuit Sancta Synodus, quid ſit ab Catholicis tenendum in tota illa ſeſſione 21. quod ante præſtitit Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 12.

In particulari ſcripſerunt de hac re Ruardus Tapet. in explicatione art. 15.

Louanienſium, Albertus Pigius in contro uerſijs Ratiſponenſibus, controuerſia 7. Cardinalis Oſius in Dialogo de communione ſub vtraque ſpecie, Ioannes Echius in homilijs de Sacramentis, Æneas Syluius in epiſt. 130. Dominicus à Soto in 4. d. 12. q. vnica, art. 12. & Claudius Sanctes in vltima repetitione de Euchariſtia, illuſtriſſimus & ſapientiſſimus Cardinalis ſanctitate, & pietate, & religione inſignis Vbilielmus Alanus, lib. 1. de Euchariſtia c. 39. & ſequentibus vſque ad finem libri. videndus etiam Franciſcus Toletus in Ioannem ſuper illa verba: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. & Rubertus Bellarminius in ſuis con trouerſis de Euchariſtia lib. 14. c. 20.

Et notandum eſt primo, vt diſtincte procedamus, quod hæc communio ſub vtraque ſpecie dupliciter poteſt intelligi, videlicet vel de ſacerdotibus conficientibus hoc Sacramentum, vel de laicis & ſacerdotibus non conficientibus. Si de ſa-

cerdotibus conficientibus intelligamus; non ſolum Catholici omnes, verumetiã hæretici aliqui tenent ſacerdotes conficientes vtramque ſpeciem debere conſecrare, & illã ſumere. Quæ veritas Catholica colligitur primò ex diuino præcepto tradito in inſtitutione huius Sacramenti. Matth. 26. Lucæ. 22. & 1. Cor. 11. In quibus locis Chriſtus, poſtquam conſecrauit ſpeciem panis, & vini, & obtulit Patri æterno in ratione ſacrificij, tradidit diſcipulis ſpecies conſecratas panis & vini, & præcepit eiſdem Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus in eodem miniſterio, vt id ipſum efficerent, dicens: Manducate ex eo omnes, & bibite, & hoc facite in meam commemorationem. Vnde quemadmodum ſolis Apoſtolis, cum quibus ſolis voluit Chriſtus manducare paſcha, & quos ſolos in ea cæna præſentes habuit, vt tres Euangeliſtæ teſtantur, hæc verba loquutus eſt: Bibite ex hoc omnes; ſic etiã in ipſis Apoſtolis hoc Chriſti præceptum

fuit impletum, teſte Marco, qui ait c.14. Et biberunt ex eo omnes. quod idem clarius expreſſit S. Lucas, qui loco, Bibite, dixit: Diuidite inter vos; ne videlicet quis hanc iuſſionem ad omnes abſentes tunc viuentes, vel etiam ad omnes eorum poſteros pertinere vllo modo exiſtimari poſſet. Quod optime explicuit Oecumenius ad Hebræos c.6. ita dicens: Neque enim de ea quæ ſemel à Chriſto facta eſt oblatio, & hoſtia dixiſſet Apoſtolis, in æternũ: Sed reſpiciens ad præſentes ſacrificos, per quos medios Chriſtus ſacrificat, & ſacrificatur: qui etiam in myſtica cœna modum tradidit illis huiuſmodi ſacrificij &c. Ex quo teſtimonio conſtat verba illa ad præſentes Apoſtolos, vt ipſe Oecumenius dicit, Sacrificos, ſpectare. Hoc etiam definitum eſt in Concilio Tridentino ſeſs.22.c.1.& ſeſs.23.cap.1. Vbi dicitur ad Apoſtolos, & ad eius ſucceſſores in ſacerdotio, & miniſterio ex Chriſti Domini inſtitutione pertinere poteſtatẽ

traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus, & ſanguinem eius. Illi ergo vi illius præcepti tenentur non ſolum conſecrare ſub vtraque ſpecie, & offerre, ſed etiam ſumere. Vnde extat decretum Gelaſij Papæ, & refertur de conſecratione diſtin. 2. Cano. Comperimus, præcipientis ſacerdotibus, vt integre percipiant Sacramentum: Grande enim ſacrilegium eſt, inquit ipſe, diuidere, quæ pertinent ad integritatem, & perfectionem vnius Sacramenti; ſcilicet pertinent ſpecies panis, & vini. Idem habetur in Cõcilio Toletano 12. c. 5. & refertur de conſecratione c. Relatum. Et probatur etiam ratione, quod ſacerdotes teneantur conſecrare, & ſumere ſacramentum ſub vtraque ſpecie. Primo, nam hoc Sacramentum, vt ſacrificium eſt, conuiuij rationem habet, ad eius integritatem, & perfectionem ſubſtantialem pertinent ſpecies panis, & vini, ex quibus integratur; & perficitur conuiuium. Præterea quia panis, &

vinum aſſerit S. Tho. 3. par. q. 74 art. 1. eſſe integram materiam huius Sacramenti, & quatuor ad hoc reddit rationes optimas ad propoſitum, de quo agimus, quæ videri poſſunt. Sed q. 76. ar. 2. in corpore, & in ſolutione ad primum aſſerit eſſe neceſſarium conſecrare vinum, vt conuertatur in ſanguinem Chriſti ex vi verborum; quamuis ſub ſpeciebus panis conſecrati integer Chriſtus contineatur: quia in conſecratione huius Sacramenti, quod eſt memoriale præcipuum Paſſionis Chriſti, debet per talem conſecrationem vini diſtinctam à conſecratione panis repræſentari ſeparatio ſanguinis Chriſti facta à corpore eius in paſſione eius, quæ repræſentatio cum ſit neceſſaria (dicit enim Dominus Apoſtolis: Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam faciatis) ſequitur, quod ad ipſos Apoſtolos, & eorum ſucceſſores ſacerdotes expectet non ſolum ſpeciem panis conſecrare, ſed etiam vini, & illam ſumere. Sed

hac ratione conſideratur ſacramentum in ratione ſacrificij; prout offertur à ſacerdote, ad cuius rationem vtraque ſpecies neceſſaria eſt. nam non haberetur abſque illis integrum ſacrificium. Vnde ſpecies panis nõ repræſentat exacte Chriſtum, vt mortuum; niſi etiam repræſentetur ſanguis, vt effuſus. Similiter etiam ſola ſpecies vini non repræſentat ſufficienter Chriſtum, vt immolatum: nam non ſolũ ſanguis eſt victima, & holocauſtum; Ergo, &c.

Præterea, nam ſacrificium proprie ordinatur ad remiſſionem peccatorum. qua ratione dicitur propitiatorium. Sine ſanguinis autem effuſione non fit remiſſio. ad Hebr. 9. Neceſſarium ergo fuit, vt ſanguinis effuſio in iſto diuino ſacrificio clare, & perſpicue repræſentaretur.

Vltimo denique in ſacrificio miſſæ debet eſſe re ipſa, quod fuit in figura in ſacrificio illo Melchiſedech. Chriſtus ſiquidem ſacerdos dicitur ſecũdum ordinem

Melchiſedech. pſal. 109. Melchiſedech autem obtulit panem, & vinũ. Geneſ. 14. Ergo manifeſtum eſt, quod quotieſcumque hoc diuinum myſterium, & ſacrificium ſacerdos peragit, debet vti vtraque ſpecie panis, & vini. Et hæc fuit Eccleſiæ Catholicæ vſu formata conſuetudo, vt in nullo caſu permiſerit huiuſmodi ſacrificium offerri ſine vtraque ſpecie. Idque aperte conſtat ex Concilio Toletano 4. Cano. 2. in quo ſtatuitur, vt ſi poſt inceptum ſacrificium, id eſt poſt vnam ſpeciem conſecratam (ita enim hoc decretum communiter explicatur) ſi ſacerdos ægrotare incipiat, vt proſequi nequeat, alius ſacerdos ſuccedat, vt ſacrificium perficere valeat. & Angelicus Doctor 3. par. q. 83. art. 6. addit, quod ſi poſt conſecratam vnam ſpeciem in ſacerdotis mẽtem veniat ſe non eſſe ieiunum, aut eſſe in peccato mortali, aut excommunicationis ſententiæ, aut alio vinculo irretitum, corde doleat, & apud ſe ipſum ſtatuat po-

ſtea facere, quod debet, vt ab iſtis laqueis liber euadat, & nullo modo imperfectum ſacrificium relinquat. Apertum igitur eſt communionem vtriuſque ſpeciei neceſſario eſſe præceptam ſacerdotibus conficientibus dumtaxat.

Secundo notandum eſt, quod ſi de ſacerdotibus non conficientibus, & de laicis ſermo ſit, multo aliter eſt loquendum. Et primo dicendum eſt fuiſſe antiquam conſuetudinem in Eccleſia temporibus Apoſtolorum, & non infrequẽtem vſum communionis ſub vtraque ſpecie, tam clericis, quam laicis non conficientibus permiſſæ, cuius conſuetudinis meminit Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 13. & habetur hoc Concilium 4. tom. Conciliorũ, & ſacrum Conc. Trident. ſeſſ. 21. c. 2. quod colligitur ex ſacra hiſtoria, & ſanctorum doctrina. Nam S. Paulus primæ ad Cor. 10. & 11. inſtituens ſermonem de vſu huius Sacramenti, non ſolum conuenire vſum vtriuſque ſpeciei ſacerdotibus

conficientibus, ſed etiam non conficientibus videtur ſenſiſſe, dicens c. 10. Multi vnum corpus ſumus, qui de vno pane & vno calice participamus. Sed verba iſta & de vno calice in multis exemplaribus non apponuntur, ſicut videas in biblia à Plantino edita, & Romæ anno elapſo anno 92. quam actionem amplectur: Et etiam c. 10. Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Idem etiam colligitur ex Dionyſio, de cœleſti Hierarchia c. 3. p. 3. De ſacerdote enim populi communionem miniſtrante dicit: Panem indiuiduum in fruſtra concidens, & ſingularem calicē omnibus impertiens vnitatem ſignanter multiplicat. Idem etiam colligere ex Leone primo in ſermone 4. Quadrageſimæ, vbi contra Manichæos ſic ſtatuit: Cumq. ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe myſterijs, ita in ſacramentorum communione ſe temperant, vt interdum tutius lateant. Ore indigno Chri-

ſti Corpus accipiunt: Sanguinem autem redemptoris noſtri haurire omnino declinant. Quod ideo veſtram volumus ſcire ſanctitatē, vt huiuſmodi homines, &c. Notati & proditi à ſanctorum ſocietate ſacerdotali auctoritate pellantur. Et ſecundum aliquos decretum illud ſupra allatum, Gelaſij in c. Comperimur, de laicis etiam non conficientibus, dictum eſſe exiſtimant contra Manichæorum etiam errorem, qui ſuo tempore vigebant. Cyprianus etiam in ſermone de lapſis, huius conſuetudinis teſtis eſt. & 1. quæſt. 1. & refertur Canone, Sacerdotes acceptum, ex Epiſt. Alexandri. 1. in quo expreſſe dicitur, quod ſacerdotes debent concedere populo hoc ſacramentum, ſub vtraq; ſpecie. & S. Ambroſius, vt refert hiſtoria Tripartita. c. 30. Theodoſio ad communionem accedenti reſpondit: Quo modo huiuſmodi manibus recipies ſanctū Domini Corpus? qua temeritate ſacrati ſanguinis poculum ore tuo ſuſcipies? Et Lin-

danus in ſua Panoplia.lib.4.c. 56. aſſerit ſe vidiſſe calices, vnde ſanguis Dominicus populo cõmunicabatur. Quia enim ſanguis effuſio propter incultioris populi ruſticitatem merito timebatur calicibus, canna eſt è ferro ducta, affabreq. inſerta, vnde Chriſti ſanguinẽ liceret ſugere, non bibere. immo & modo noſtris temporibus Eccleſia Romana ſeruat, vt aſſiſtẽtes Pontifici Diaconi, & ſubdiaconi, dum Pontifex celebrat, vtramque ſpeciem ſumant. : Non enim ſolum de ſacra hoſtia comedunt, ſed & de calice bibunt quadam fiſtula, qua ſanguinem de calice quilibet exſugit.

DE MANDUCATIONE ſub vna tantum ſpecie laicis & clericis non conficientibus neceſſaria. Cap. XVI.

TErtio notanda eſt non minus fuiſſe antiquam conſuetudinem à tem-

 pori-

poribus Apoſtolorum vſque ad hæc noſtra tempora propagatam, communicandi laicos, & ſacerdotes non conficientes, & clericos ſub vna tantum ſpecie panis. Quod probatur primo auctoritatibus ſcripturæ, & eſt inſignis locus Lucæ 24. Quando Dominus duobus diſcipulis euntibus in Emaus ſolum diuinum accepit, & benedixit, ac fregit, illiſque porrexit panem, videlicet ſacram Euchariſtiam, vt exponit S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Euangeliſtarum. c. 25. vbi ſic ait: Eorum oculi tenebantur ne agnoſceretur Ieſus, ſed tamen à Chriſto facta eſt permiſſio vſque ad Sacramentum panis, vt vnitate corporis participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Chriſtus poſſit cognoſci. Explicat ſiquidem S. Auguſtinus illud, quod in textu dicitur, quod cognouerunt eum in fractione panis. Ex quo conſtat primo, quod cum cõſecrato, & fracto pane ſtatim euanuerit Chriſtus ab oculis eorum, nullo mo-

do potuerunt calicem ſumere, præter quam quod ibi nulla mentio fit de calice. Secundo conſtat, quod illa benedictio, & fractio erat ſymbolum apud ſacros Apoſtolos ſacri myſterij, & conſecrationis Corporis Chriſti Domini. Redemptor enim noſter in vltima cœna ſic feciſſe dicitur, vt conſtat apud eumdem Lucam, Matthæum, & Marcum. Accepit enim panem, benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis. Quia igitur eodem modo Chriſtus cum his diſcipulis egerat, ac in vltima cœna, ideo cognouerunt eum in fractione panis. Atque hac ratione S. Paulus ex iſto ſigno argumentãs 1. Cor. 10. Corpus Chriſti panem, qui frangitur, appellauit. Quapropter erat iam receptum apud illos Eccleſiæ primitiuæ Chriſtianos, vt dum fit mentio fractionis panis, de corporis Chriſti ſumptione tractaretur, vt patet actorum 2. 20. Et notandum, quod non eſt ſenſus iſte verus illis locis.

Ex his igitur conſtat, quod ille locus

Lucæ 24. manifeſte debet intelligi de Sacramento Euchariſtiæ: quod demoſtrat apertiſſime illa benedictio, & fractio panis. De quo præter citatum locum, videndus S. Auguſt. ſerm. 1. feriæ 2. & ſerm. 3. feriæ 3. Paſchatis: S. Chryſoſt. hom. 23. ſuper Matheum, Theophilactus, venerabilis Beda, Euthinius ſuper hoc 24. cap. Lucæ, Hieronymus in Epitaphio Paulæ, & Iſichius lib. 2. in Leuiticum c. 9. Actorum etiam 2. Idem obſeruabant Apoſtoli ſub vnica tantum ſpecie panis communicantes fideles. Dicitur enim ibi: Erant autem circiter tria millia hominum, poſtquam diſcipuli Spiritu ſancto illuſtrati fuerant, omnes perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Panis autem iſte liquido apparet eſſe Euchariſtiam: nam alias non coniungeretur cum doctrina, & orationibus. Si enim hoc etiam intelligeretur de menſa communi, vituperatio potius, quam laus eſſet illorũ Chri-

ſtia-

ſtianorum cõmendari, quod perſeuerarent in prandijs, & cœnis corporalibus. hic autem nihil omnino dicitur de calice; ergo i

Et præterea præſente Paulo, actorum 20. & eo auctore dicitur: Vna autem ſabbathi, cum conueniſſemus ad frangendum panem, id eſt ad accipiendum Euchariſtiæ panem. Ex quo dubitari non poteſt, quin primi Chriſtiani ſub vna tantum ſpecie panis Sacramento Euchariſtiæ potiti etiam ſint.

Sed hæretici volunt huiuſmodi auctoritates debere intelligi de cibo communi, quod grãde ſacrilegiũ eſt. nam Actorum 2. ibi S. Lucas à cibo, & menſis communibus ſeparat talem manducationem, cum ait: Quotidie perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis. Vides hic ſacrã menſam, fractionem nimirum panis à cibo communi diſtingui: Vnde S. Au-

ſtinus Epiſt.86.ad Caſulanum, ibi per fra ctionem panis Sacramentum intelligit, cum ſic ſcribit: Et ita eadem nocte fractu rus Paulus panem, ſicuti frangitur in Sacramento corporis Chriſti, produxit ſermonem vſque ad medium noctis, vt poſt Sacramenta celebrata rurſus vſque ad di luculum, &c. Idem etiam probatur, ex S. Paul. 1. Cor. 10. Quoniam, inquit, vnus panis, vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane participamus. In aliquibus codicibus additur, & de vno calice; ſed in Biblia Chriſtophori Plãtini, de anno Domini 1582. non additur hoc, nec in Biblia, anno 1592. Romæ impreſſa iuſſu Sixti V. & accuratiſsime mendis expurga ta habetur. nec, vt annotat R. D. Mag. To letus in Græco reperitur; nec legitur apud S. Ambroſium: & quomodocumq; legatur, ratio videtur perſuadere, quod de ſola ſumptione panis loquatur S. Paulus. Nam ſtatim ſequitur: Iſrael ſecundũ carnem, non ne qui edunt hoſtias, parti-

cipes ſunt altaris? Incidit enim hic in mẽtionem conſuetudinis Iudæorum, quam in ſuis ſacrificijs obſeruant: quorum vſus, & inueteratus mos non ferebat, vt vinum in ſacrificijs biberent. Sed notandum eſt, quod cum ſacerdotes in hoc ſacrificio incruento, ſub panis, & vini ſpeciebus corpus, & ſanguinem Domini comedunt, & abſumunt, totum, inqueam, quod eſt in illo ſacrificio, iſta abſumptio correſpondet conſumptioni per ignem. Eſt enim hoc ſacrificium holocauſtum. Sicut igitur in holocauſto omnia conſummabantur, & victima, & libamina, ſic etiam nunc ſacerdotes, quorum eſt conſumare holocauſta, omnia aſſumunt. at vero populo, qui ſolum participat de ſacrificio, ſatis eſt manducare carnes Agni immaculati, abſque ſanguinis, ſub ſpeciebus vini, participatione. Comparat igitur S. Paulus hic ſacrificium ſacratiſſimum noſtrum, in quo ponitur oblatio illa munda panis, qui de cœlo deſcendit, & vini, cum ſacri-

ficio Iudæorum. Sicut igitur ipſi ex eo quod hoſtias offerebant, abſque eo quod biberent vinum, participes fiebāt altaris; ſic & nos vnum ſumus, qui de vno patre diuino, Sacramento videlicet altaris participamus. Voluit ergo ſignificare S. Paulus idem Sacramentum corporis & ſanguinis Domini ſub vna ſpecie panis abundantiſſime miniſtrari, ibique perfectiſſimam ſignificari vnionem. atque exinde nos inferimus non ſolum non conficientibus ſacrum myſterium ſufficere vnicam tantum panis ſpeciem ad ſalutem; ſed etiam colligi ſola ſpecie panis communicari etiam ſolitos fideles tempore S. Pauli. Immo & ad hoc ſignificandum, quando Chriſtus Dominus diſcipulis ſe comedendum tradidit in vltima cœna, prius illis ſuum corpus dedit ſub ſpecie panis, vt intelligeretur eſſe ibi totum illud, quod poſſet famem, & ſitim extinguere; ita vt vnica illa ſpecies ſufficeret. Poſtquam autem cœnauit, dedit illis calicem, & vt bi-

berent ex hoc omnes Apoſtoli, præcepit, "
illudq. in ſuam facerent commemoratio "
nem; quia ſacerdotes creati ſacrificium il "
lud integrum erant peracturi, & perce- "
pturi ſub ſpecie panis & vini. "

Sed conſuetudo communicandi ſub vna tantum ſpecie videtur conſtare, ex magno illo Concilio Niceno: & habetur hoc Concilium tomo 1. Conciliorum. Ibi enim, vt indomitam Diaconorum *Can. 14.* conſuetudinem, & arrogantiam reprimeret, qui ſe presbyteris præferebant, ſic ſtatuit: Peruenit ad Sanctum Concilium, "
quod in locis quibuſdam, & ciuitatibus "
presbyteris Sacramenta diaconi porri- "
gant; hoc enim neque regula, neque con- "
ſuetudo tradidit, vt hi, qui offerendi ſacri- "
ficium non habent poteſtatem, his, qui "
offerunt Corpus Chriſti, porrigant. Sed "
& illud innotuit, quod quidam diaconi "
etiam ante Epiſcopos Sacramenta ſu- "
munt. Hæc ergo omnia amputentur, & "
maneant diaconi intra propriam menſu- "

„ ram, ſcientes, quia Epiſcoporum quidem
„ miniſtri ſunt; presbyteris autē inferiores
„ ſunt. Accipiant ergo Euchariſtiam ſe-
„ cundum ordinem poſt presbyteros ab
„ Epiſcopo, vel à presbytero; quod ſi non
„ fuerit in præſenti, vel Epiſcopus, vel pres-
byter, tunc ipſi proferant, & edāt. In quo Canone clarum eſt, quod Concilium tractat de vnius ſpeciei panis acceptione, quæ tunc etiam aliis presbyteri, vel diaconi ipſi porrigebant, vel ſibi accipiebāt. quod conſtat ex illis verbis: Tunc aliis proferant, & edant. Manifeſtum autē eſt, quando dicitur in Concilio, quod edant, id nullo modo ad calicē pertinere.

Prærerea id etiā probatur ex eo, quod in Concilio Reemenſi, & habetur de conſecratione d. 2. cap. peruenit, repræhenditur abuſus laicorum, corpus Domini infirmis deferentium. in quo animaduertendum eſt fuiſſe tunc peruulgatam conſuetudinem, vt Euchariſtia ſub vna tantum ſpecie infirmis porrigeretur; quod patet

multis exemplis. Eſt illud celebre Serapionis, vt narrat Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium Cæſarienſem, cui puer quidam, quam ſibi deferendam presbyter tribuerat Euchariſtiam, manu acceptam, ſenis ori maceratam (quia iam ſeni. 200. annorũ guttur aruerat) puer idẽ infudit, atque dedit. & cuidam Sancto Symeoni, etiam ſeni refert Theodoretus in Sãctorum Patrum hiſtoria, cum iam morti eſſe proximus presbyterum quemdam, ſic ſacrum viaticum dediſſe, ſpõgia petita, inquit Theodoretus, os ſenis humectat atque eluit, ac tunc ei diuinum obtulit Sacramentum. Si ex more tunc vigebat calicis vſus, ad quid fuit opus ſpõgia ſenis humectare os? Quod ſine dubio factum eſt vt corpus Domini ſub panis ſpecie ſumptum facilius ad viſcera ſenis deſcenderet. Sic de S. Ambroſio Paulinus refert in vita ipſius ad Auguſtinum ſcripta, vnica ſpecie panis fuiſſe illi in viaticum Euchariſtiam porrectam. Sic enim

ait: Honoratus autem ſacerdos Eccleſiæ Vercellenſis, cum in ſuperiora domus ad quietem ſe compoſuiſſet, tertio vocem vocantis ſe audiuit, dicentiſque ſibi: Surge, feſtina, quia modo eſt diſceſſurus qui deſcendens obtulit ſancto Domini corpus, quo accepto emiſit ſpiritum, bonum viaticum ſecum ferens, vt in virtute eſcæ anima refectior Angelorum nunc conſortio, quorum vitam vixit in terris, & Heliæ ſocietate lætetur.

Nolo ex his exemplis, tamquam certum id ſtatuere, quod ſemper infirmis iam iam decedentibus ſolū ſpecies panis porrigeretur. nā & his aliquādo ſanguis ſacratiſſimus ſolum dabatur, vt patet ex *Cap. 11.* Concilio Toletano vbi inſtituit infirmis, præ ſiccitate Corpus domini accipere non valentibus ſolum ſanguinem miniſtrandum: & in Concilio Carthagi- *Can. 76. q. 6. c. De his.* nienſi quarto. Phreneticis in mortis articulo Euchariſtiam infundi eorum ori præcipitur; quod verbum ſanguinem ſo-

lum

lum dandum ſignificat. Sed ſatis eſt, ex his exemplis recte colligi infirmos vnica tãtum ſpecie fuiſſe refectos, ſiue illa fuerint panis, quod freques erat, ſiue vini, quod & aliquando accidit.

MULTIS FIGURIS SACRAE ſcripturæ, videlicet ligni vitæ, Agni paſchalis, Manna, panis propoſitionis, communio ſub vna tantum panis ſpecie oſtenditur.

Cap. XVII.

SVnt autem multæ figuræ in ſacra ſcriptura, quæ hanc communionem vnius ſpeciei ſignificabant. Nam Geneſ. 2. figura erat cõmunionis vnius ſpeciei lignum vitæ, quod in paradiſo poſitum, comedentibus vitã immortalem præſtabat. Vnde Apocalip. 2. dicitur: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei. ſuper

quo

Hom. 2. in Apoc. c. 2. quo loco Sanctus Auguſtinus ſic ait: Vincenti, inquit, dabo manducare de Manna abſcondito, id eſt de pane, qui de cælo deſcendit. Cuius figura fuit Manna in eremo, quod (ſicut ipſe dominus dixit) multi manducantes mortui ſunt. Sed & nunc quicumque manducat indigne judicium ſibi manducat. Idem panis etiam eſt lignum vitæ. huius eſt Sentẽtiæ Rupertus Abbas, dum ait: Chriſtus, lignum vitæ eſt, cuius & in cæleſti Paradiſo viſione, & in præſenti Eccleſiæ corpore, ſancte reficiuntur animæ.

Cap. 6. S. Ioan.

Lib. 2. ſuper Apoc. 2.

Eſt etiam vnius ſpeciei ſumptionis typus Agnus Paſchalis, cum dicitur: præcipiens Dominus Moyſi, vt quot annis mactatus, & immolatus à filijs Iſrael comederetur; quoniam Agni paſchalis inſtitutio cum omnibus ceremonijs, & myſterijs ad ſolam comeſtionem, nulla facta prorſus mentione potus, pertinebat. Agnus autem paſchalis fuit perfectiſſima

Exod. 12.

figu-

figura Corporis Dominici, iuxta S. Paulum : Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Quare dubitari non poteſt, quin ritus communicandi ſub vno commeſtionis modo per illum Agnum præfiguratus fuerit, atque ideo pius, licitus, & ſufficiens, ac ſanctus probetur. *1. Cor. 9.*

Sed dices, quod potius ex comeſtione Agni communio ſub vtraque ſpecie probatur. nam poſtes etiam ſanguine aſpergebantur; quod potum ſanguinis videtur ſignificare. ſed certe ſanguis ille non poteſt referri ad potum, vt manifeſtum eſt, cum nec biberetur, nec daretur hominibus, & prius linirentur ex eo poſtes, quam Agnus manducaretur. quare argumentum non habet vim.

Communionis vnius etiam ſpeciei Manna typum geſſit. & colligitur ex S. Hilario. Vbi enim ait : Eadem ratio eſt in corpore Domini, quæ in Manna, quod in eius figura præceſſit. quod Dominus in cap. Ioannis euidenti com- *De conſecrat. d. 2.*

paratione demonſtrat dicens: ego ſum panis vitæ; patres veſtri manducaue runt Manna in deſerto,& mortui ſunt. hic eſt panis cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æter num, & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Itaque ſi Manna tamquam panis cæli omne delectamentum,& omnis ſaporis ſuauitatem in ſe habebat; longe magis ille panis nouus, quē Chriſtus eſſe carnem ſuam ſub panis ſpecie contentam affirmat, & vim ad ſedandam famen, & ſitim habet, & etiam vitā donat immortalem. Qui manducat enim hunc panem, viuet in æternum. Sed Manna tam cibi, quam potus continebat Saporem. At murmurantium Iudæorum ingluuies aquas extorſit; quare locus ille tentatio dicitur.

Ioan. 6.

1. Cor. 10. Nec obſtat etiam ſi Apoſtolus coniungat cibum ſpiritualem, id eſt

Man-

Manna, & potum ſpiritualem ideſt aquã de petra, & quo vtramq. ſpeciem videtur ſignificare. Nam ad hoc ſignificandum vno eodemque tempore Manna, & aqua de petra eſſet populo tradita, at illæ duæ figuræ ſunt diſtinctæ, & diuerſis temporibus exhibitæ. Manna enim datũ eſt in deſerto Syn. Exod. 16. & poſtea fuit aqua data in Raphadim. Exod. 17. Quare Dominus Ioan. 6. cũ cõparat Manna cum Sacramento Euchariſtiæ, nullam mentionem facit aquæ; & eodem modo Dominus ibidem celeberrimo miraculo multiplicauit panes. Vinum vero, vel aquam non multiplicauit, vt vnius ſpeciei panis manducationem comendaret.

Exod. 16.
Exod. 17.
Ioan. 6.

Præterea etiam panis propoſitionis typus eſt huius ſanctiſſimi ſpeciei panis: etenim ille panis nulla potus facta mentione, mundis, & ſanctificatis dabatur. hic etiam iſte panis viuus, qui de cælo deſcendit, ſub vna tantum ſpecie mundis, & ſanctificatis Chriſti fidelibus porrigitur.

S. Aug. 28. ſermone de verbis Domini. Item lib. 2. ca. 7. de ſermone Domini in monte, Cyrillus Catecheſi Miſtagogica. S. Cypr. ſer. 6. de orat. Domi. c. 2.

Præterea etiam verba illa: Panem noſtrum quotidianum, Sanctiſſimi Doctores de Sacramento Euchariſtiæ exponunt, & tamen ibi nulla mentio à Domino de calice facta eſt.

Hoc præterea c. 6. panibus hordeaceis, vt dictū eſt, hominum quinque milia Chriſtus Dominus ſatiauit nullo adhibito potu.

Probatur etiam talis conſuetudo communicandi ſub vna tantum ſpecie panis ex eo, quod tunc temporis Euchariſtiam ſacram manibus accipiebant communicantes, ad propriaſq. domos ſacroſanctum illum panem mundis linteolis deferebant, vt ibi tempore oportuno ſumerent: quod patet ex Tertulliano, Clemente Alexandrino, Baſilio in Epiſt. ad Cæſariam patritiam, Hieronymo in Apologia pro libris in Iouinianum, Auguſtino, Cypriano, aliiſque patribus. Dicit enim Cyprianus in ſermone de lapſis: cum, inquit, quædam arcam ſuam,

lib. 2. adv xorem. lib. 1. ſtromatum nō procul ab initio.

in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire; igne inde ſurgēte deterrita eſt, ne auderet attingere. Procul dubio manifeſtum eſt, quod ſpeciem panis, non vini manibus contrectare conabatur, quam ex templo, vt liberum fuit, domum deportaret. Clariſſimum autem eſt Chriſtianos tunc illa ſola ſpecie panis communicare ſolitos, quam domus deferebant. Sola enim ſpecies panis dabatur in manibus fidelium; quia ſpeciē vini deferre non poterant. Ergo ſola illa reficiebātur domi. Et ibidem alio exēplo hoc declaratur: Et alium, inquit, qui & ipſe maculatus, ſacrificio à ſacerdote celebrante, partem cum ceteris auſus eſt latenter accipere, ſanctum Domini edere, & contrectare non potuit, cinerem ſe ferre apertis manibus inuenit. Meminit & huius conſuetudinis S. Auguſtinus, dū ait: Mulieres quo modo nitidum exhibēt linteolum, vbi corpus Chriſti accipiant; ſic corpus caſtum, & cor mundum exhi- *De temp. ſer. 252.*

beant, vt cum bona conſcientia Chriſti Sacramenta ſuſcipiant. Qua ratione extat decretum Concilij Cæſaraguſtani 3. in quo ſtatutum legimus, ſub anathemate, vt nullus deinde poſſit ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ad propriam domum deferre, ſed quod in Eccleſia illud accipiat, & ita dicit: Euchariſtiæ gratiam ſi quis probetur acceptam non conſumpſiſſe in Eccleſia, anathema ſit in perpetuum. Idem etiam ſtatutum reperitur in Concil. Tolet. c. 14. & Tolet. 11. c. 2. Eadem etiam conſuetudo probatur ex S. Gregorio. vbi refert Agapitum redeuntem in Græciam muto corpus Domini miniſtraſſe, ſtatimq. loquutum, & ſic ait: Cumque & Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua ſoluta eſt. Mirati omnes, flere præ gaudio cœperunt, eorumq. mentes illico metus, & reuerentia inuaſit. Hæc Gregorius. Sanctus etiam Hieronymus de ſcripturibus Eccleſiaſt. in principio, poſt

Lib. 3. dialog. c. 3.

De ſcript. Eccleſiaſt. in princ.

Chri-

Chriſti Reſurrectionē. S. Iacobū ab ipſo Domino ſub panis ſpecie fuiſſe cōmunicatū aſſerit: Iurauerat enim, inquit, ſe nō comeſturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret cū reſurgentem à mortuis. Venit ergo Dominus poſt reſurrectionem, tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Iacobo iuſto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum; quia reſurrexit filius hominis à dormientibus. Ecce quo pacto ſola ſacra panis ſpecie fuit Iacob⁹ à Chriſto refectus.

Alia exempla huiuſmodi adducit, & Sozomenus lib. 8. hiſtoriæ c. 5. & Nicephorus lib. 13. c. 7. vt refert Bellarminius in ſuis controuerſiis; ibi videri poſſunt. *Lib. 8. hiſto. c. 5. Lib. 13. c. 7.* Cum igitur S. Lucas affirmet omnes perſeuerantes fuiſſe in doctrina, & communicatione fractionis panis, ſatis probabilis eſt coniectura hæc ad hoc, vt exiſtimemus S. Lucam ea ratione meminiſſe ſolū fractionis panis, quod ab ea ſola ſpecie nulli abſtinerent, eorum, qui Hieroſoly-

mis erant, licet ab ſpecie vini abſtinerent Nazaræi. Ideò S. Paulus. Non ſine cauſa, & ratione dixit de calice: Calix benedictionis, cui benedicimus: De pane autem; Panis, quem frangimus. Calix enim ſemper benedicebatur, ſed non ſemper diſtribuebatur. Vnde etiam S. Paulus infra dicit: Vnus panis, & vnum corpus ſumus, qui de vno pane participamus. Probat id etiam ex ritu, & vſu communionis, quæ appellabatur laica, quæ in pœnam alicuius grauioris delicti olim dabatur clericis, ablata eis communione clericari, cuius communionis laicæ crebra eſt mentio in decretis antiquiſſimorum Pontificum, & Conciliorum, vt videre eſt, apud Felicem tertium, qui ſedit ante annos 1100. & Silicium Papam Felice 3. antiquiorem, annis fere centum, Concilium deinde Elibertinum ante Silicij tempora celebratum, & Sardicenſe c. 2. & Agatenſe c. 2. 5. & quinquageſimo. Pœna ergo inflicta clericis erat,

Epiſt. 1. c. 2. *in epiſt. 1. c. 11.* *can. 76.*

quod

quod communicantibus alijs clericis conficientibus ſub vtraque ſpecie, ipſi prohiberentur ob grauia patrata delicta, à Calice Domini; & cogerentur vnam tantum ſpeciem ſumere. Quibus accedit, quod in Paraſceue, vt eſt antiquus ordo in cerimoniali Romano præſcriptus, communio ſolum fit ſub ſpecie panis absq. ſanguine domini. Sanguinem enim totum conſumi iubet feria 5. & ſolum Corpus Domini conſeruari pro cõmunione ſequentis diei. Videndus præfatus Belarminius. *lib. 6. de Sacra. Euchar. cap. 24.*

Hæc eadem conſuetudo ſumendi vnicam tantum ſpeciem poſſet probari auctoritate ſanctorum Patrum Ignatij, Cypriani, Auguſtini, Ambroſij & aliorum; ſed ſi hæc ad vnguem eſſent in medium afferenda, in infinitum creſceret hæc diſputatio; quare hæc ſufficiant.

AD-

EX DICTIS IN CAPITIBUS præcedentibus comprobatur communionem ſub vtraq; ſpecie nõ eſſe de iure diuino præceptã neq; id colligi, ex iſta ſententia Io. c. 6. Cap. XIX.

QVarto notandum, quod ex his duobus notabilibus præcedẽtibus euidenter ſequitur primo Communionem ſub vtraque ſpecie non eſſe de iure diuino præceptam. nam ſi temporibus Apoſtolorum, vt probatum eſt, fuit inueteratus mos, & vſu firmata conſuetudo communicandi populum, modo ſub vna, modo ſub vtraq. ſpecie; non ergo poteſt eſſe communio ſub vtraq. de iure diuino neceſſaria. in re enim tam graui non permitterent Apoſtoli Chriſtianos illos Eccleſiæ primitiuæ deficere, & contra diuinum præceptum agere, communicando ſub vna ſpecie: quod ſtatuit, vbi ita definit: Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel

neceſſitate ſalutis omnes & ſingulos Chri- ,,
ſti fideles vtramque ſpeciem, ſanctiſſimi ,,
Euchariſtiæ ſacramenti ſumere debere, ,,
anathema ſit. Quam etiam rem antea de- ,,
finierat Concilium Conſtantienſe ſeſſ.13. *Seſſ.13.*
& Conciliũ Baſilienſe ſeſſ. 30. Huiuſmo- *Seſſ.30.*
di autem decretum ita intelligendum eſt, quod communio abſolute huius diuini Sacramenti Euchariſtiæ de iure diuino præcepta eſt. An veto ſub vna, vel ſub vtraque ſpecie ſumenda ſit hoc eſt, quod non ca dit ſub præcepto diuino.

Secundo ſequitur quod, cum communio ſub hac, vel illa ſpecie, vel ſub vtraque iure diuino præcepta ſit, id Chriſtus Dominus ſponſæ ſuæ Eccleſiæ determinandum reliquit ſecundum diuerſos rerum ſtatus, & euentus; ſicuti ieiunium, & confeſſionem eſſe à Chriſto Domino præceptam, manifeſtum eſt: An vero hoc, vel illo tempore fieri debeat, hoc Chriſtus reliquit Eccleſiæ firmiſſime ſtatuendum. Hanc autem Eccleſiam habe-

„ re poteſtatem optime declarat, atque de-
Cõc. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. finit idem Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. his verbis: Præterea declarat hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpoſitione ſalua illorum ſubſtantia ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ad ſuſcipientium vtilitatem, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationem pro rerũ, temporũ, & locorum varietate magis expedire iudicaret. Id autem Apoſtolus non
1. Cor. 4. obſcure viſus eſt innuiſſe 1. Cor. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei. Atque ipſum quidem hac poteſtate vſum eſſe ſatis conſtat cum in multis alijs, tum in hoc ipſo ſacramento, cum ordinatis nonnullis circa eius vſum, cætera, inquit, cum venero, diſponam. quare cognoſcens ſancta mater Eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione Sacramentorum auctoritatem licet ab initio Chriſtianæ religionis non infrequens vtriuſq; ſpeciei vſus fuiſſet; tamen progreſſu temporis latiſſi-

me iam mutata illa conſuetudine graui- ,,
bus,& iuſtis cauſis adducta, hanc conſue ,,
tudinem ſub altera ſpecie communican- ,,
di approbauit,& pro lege habendam de- ,,
creuit: quam reprobare, aut ſine ipſius ,,
Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare ,,
non licet.

Ex quo decreto tertio ſequitur, quod Eccleſia, quæ à Chriſto Domino habet poteſtatem,vt ex dictis patet, potuit prohibere, ſicut de facto iuſtiſſimis de cauſis prohibuit, vtriuſque ſpeciei communionem laicis, & clericis non conficientibus; & merito hos vnica tantum ſpecie panis eſſe communicandos ſtatuit.Pro cuius rei probatione primum eſt recolendum in memoria decretum ſupra allatum in principio ſolutionis huius argumenti, Concilij videlicet Trid.ſeſs.13.c. 3. ſic dicentis *Trid. ſeſs. 13. c. 3.*
Ad finem Capitis:Quapropter veriſſimũ ,,
eſt tantumdem ſub alterutra ſpecie, at- ,,
que ſub vtraque contineri,totus enim, & ,,
integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub ,,

„ quauis ipſius ſpeciei parte: totus item ſub
„ vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit. Si
„ igitur, vt fides docet, ſub ſpeciebus panis
„ totus integer eſt Chriſtus, corpus videlicet cum anima, ſanguine, & diuinitate per concomitantiam; nullo ergo populus priuatur fructu, etiam ſi communionis calicis priuetur, cum totum fructum, quem poterat capere, accipiendo ſolam ſpeciē panis, accipiat; videlicet totum ipſum integrum Chriſtum Dominum. Nullus autem maior fructus eſt deſiderabilis, immo nec dari poteſt. Ergo ex iſta ita fundamentali ratione, & præcipua aliis ſic inde rebus ſuccedentibus, pro temporum varietate Eccleſia decreuit vnica tātum ſpecie panis ſacratiſſimi laicos, & clericos non conficientes debere refici. Ad quod agendum adducta eſt Eccleſia aliquibus rationibus. Prima illa eſt, nam experiētia docuit difficillime miniſtrari poſſe hoc Sacramentum ſub vtraque ſpecie, cum ſanguis ad bibendum detur multi-

plicis conditionis perſonis, ætatis, & ſexus, ita vt illis detur ſine ipſius ſanguinis effuſione: quod maximam irreuerentiam affert huic diuino Sacramento. Secundo id factum eſt, vt hoc Sacramentum poſſet omnibus eodem modo adminiſtrari. Nã his, quibus vinum ſtomachum ad nauſeã mouet, ita vt periculum euomendi habeant, ex quo numero multi reperiuntur tam fœminæ, quàm viri, non videtur, quo modo his Sacramentum hoc ſub ſpecie vini poſſet adminiſtrari, cum tali euidenti periculo vomitus. Ideo, vt eſſet vnus modus communis omnibus, à quo nullus abhorreret, ſub vnica ſpecie panis voluit Ecclesia, vt omnes diuinum hoc Sacramentum ſuſciperẽt. Accedit & tertia ratio, vt hæreticorum errores diuellãtur. Vt enim tempore S. Leonis vtraque ſpecies præcepta fuit ad extirpandam Manichæorum hæreſim, qui à perceptione calicis abſtinebant, vt oſtenderet Chriſtum habuiſſe corpus fantaſticum abſque ſanguine: ſic

& propter exortam hæreſim aſſerentium communionem ſub vtraque ſpecie omnibus eſſe iure diuino præceptam; ideo Eccleſia ſtatuit ſub vna tantum ſpecie panis populo eſſe communicandum.

Addendum vltimo eſt, quod cum ſpecies vini in ſacrario non poſſint ita facile conſeruari, vt ad infirmos deferantur, optime vero ſpecies panis, hac etiã ratione hæc vnica ſpecies ſacratiſſimi panis ab Eccleſia omnibus præcepta fuit, vt facile ſanctum Sacramentum in ſacrario conſeruari poſſet. Et hæc ſatis ſint de hac materia: nam reliqua in Doctoribus à principio citatis latiſſime videri poſſunt.

Vltimo ex dictis ſequitur apertiſſime conſtare de his, quæ attinent ad ſolutionem huius tertij argumenti, & quo modo illa ſententia: Niſi manducaueritis, &c. non probat communionem ſub vtraque ſpecie, vt optime etiam notauit Concilium Tridentinum.

Seſſ. 21. c. 1.

AD

AD CONFIRMATIONES 3. Argumenti reſpondetur, & ſimul explicatur, quo modo verificetur in paruulis non habentibus vſum rationis illa domini ſententia: Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam. Cap. XX.

PRopter difficultatem confirmationis poſitæ in hoc argumento aliqui graues auctores exiſtimarunt illa verba Ioannis: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. de Sacramento baptiſmi debere interpretari, cuius ſententiæ videtur eſſe Doctiſſimus Petrus à Soto, & nouiſſime Michael de Palatios, qui in Ioannem ſuper iſto loco, concedit hæc verba Domini eſſe generalia, omneſque fideles comprehendere ſiue adultos, ſiue infantes, ſiue ſacerdotes, ſiue non ſacerdotes: tamen verba debent intelligi de manduca-

In ſuo lib. de inſtitut. ſacerd. lect. 8. de Sacrã. Euchar.

tio-

tione, & potu ſpirituali. & quia paruuli, quando ſuſcipiunt ſacramentum baptiſmi, tali manducatione ſpirituali fruũtur, participant ſiquidem merito paſſionis Domini; ideo figurata locutione dicuntur manducare carnem, & bibere ſanguinem Domini. Itaque, inquit ille, ipſa baptiſmi ſuſceptio ipſaue regeneratio eſt eſus carnis & potus ſanguinis Chriſti.

Lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. c. 20.

Idque videtur ſibi aperte demoſtrare ex S. Auguſt. lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſ. c. 20. qui primo dicit paruulos comprehendi ſub iſta Domini ſententia, vt etiam comprehenduntur ſub
» illa: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &
» Spiritu ſanto, non poteſt introire regnum Dei. Et idem S. Auguſtinus exponit: Niſi manducauerint homines carnem eius, hoc eſt, participes facti fuerint corporis eius, non habebunt vitam. & mox ſubijcit de paruulis:

Lib. 3. c. 4. de peccat. merit. & remiſſ.

» Hæc vitam æternam poſ-
» ſunt habere præter Chriſti corpus, cui vt
» incorporentur, Sacramento baptiſmatis

imbuuntur. Et hoc loco ſuper Ioannem ſcribens latius hoc proſequitur dicens: Hunc itaque cibum, & potum ſocietatē vult intelligi Corporis, & membrorum ſuorum, quod eſt Eccleſia in prædeſtinatis, vocatis, & iuſtificatis, & glorificatis ſanctis fidelibus ſuis. Idem etiam videtur ſentire Innocentius Primus in Epiſtola ad Patres Concilij Mileuitani, quæ habetur inter Epiſtolas Auguſt. nu. 92. Vbi ſic ait: Illud vero, quod veſtra fraternitas aſſerit prædicare, paruulos æternæ vitæ præmijs etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari perfatuum eſt. niſi enim manducauerint carnem filij hominis, & biberint eius ſanguinem, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem eis hanc ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum quaſſare, cum prædicant eos habere, quod in eos creditur non niſi baptiſmate conferendum. Ex quibus verbis S. Auguſt. & Innocentij plane videtur colligi, quod manduca-

tio, & potus hic nihil eſt aliud, quam ſuſceptio baptiſmatis. Rationes etiam adducuntur pro hac ſententia, quæ ſunt in hoc argumento à nobis allatæ.

Sed certe hi Doctores, bona venia dixerim, falluntur valde, ita intelligentes verba Ioannis, & quatenus ipſi ad figuratam, & ſpiritualem explicationem confugiunt extrahentes iſtum locum Ioannis, & alios eiuſdem cap. ſexti, in ſecunda parte, vt explicauimus, à vera interpretatione manducationis ſacramentalis; faciunt contra iſtos ſacra Concilia, & Sancti patres, doctoreſque catholici, & rationes omnes, quæ in hoc diſcurſu adductæ à nobis ſunt, quæ (vt ita dicam) optime probant huius ſententiæ temeritatẽ.

Ad S. tamen Auguſt. & Innocentium patebit facilis reſponſio ex his, quæ dicenda ſunt.

Vt igitur ad præfatam confirmationẽ reſpondeamus, & pro intelligentia eorũ, quæ dicenda ſunt; notandum eſt. primo,

quod tripliciter poteſt ſumi à fidelibus, vt iam ſupra diximus, Sacramentum Euchariſtiæ, vt ex profeſſo docet Concilium Tridẽtinum ſeſs. 3. c. 8. in principio. Vno modo ſacramentaliter tantum, qualiter ſumitur à peccatoribus indiſpoſitis: ſpiritualiter tantum, qualiter ſumitur à diſpoſitis, ſed non potentibus ſumere Sacramẽtum ipſum in re, ſed in voto ſolum. ſacramentaliter vero ſimul ſumitur ab his, qui re vera diſpoſiti, & ſe ipſos prius probantes, vt Paulus præcipit. 1. Cor. 11. Sacramentum hoc diuinum ſumunt. Videndus S. Thomas 3. par. q. 80. art. 1. 2. & 3. & præcipue art. 1. in reſponſione ad primum.

Seſſ. 3. c. 8. in princ.

1. Cor. 11.

S. Thomas 3. p. q. 80. art. 1. 2. & 3.

Secundo notandum eſt hoc eſſe commune omnibus Sacramentis, quod res tantum Sacramenti poteſt aſſequi non ſolũ ſumptione Sacramenti in re, ſed etiam in voto & propoſito ſumendi Sacramẽtum ſuo tempore, quando adeſt obligatio ſumendi ipſum Sacramentum: ita definit

Seſſ.6.c.4. Concilium Tridentinum ſeſs. 6. c. 4. loquens de baptiſmo. Dicit enim, quod per baptiſmum in re ſumptum, aut in voto, vel propoſito ſumendi illud, ſi in re non poteſt ſumi, poteſt quis cōſequi ſalutem; & idem dicendum eſt de Euchariſtia. Res tamen huius Sacramenti videlicet vnio cum Chriſto, & incorporatio cum ipſo, & corpore eius myſtico, quod eſt Eccleſia, & ſanctorum communio; fieri vel per realem ſumptionem ipſius Sacramenti, vel per ſpiritualem ſumptionem, videlicet quando voto ſuſcipitur hoc Sacramētum. Cum enim hoc diuinum Sacramentum in voto ſuſcipitur, tunc dicitur apud ſanctos Euchariſtiam ſpiritualiter ſumi; & qui in voto ſuſcipit, dicitur Sacramentum hoc manducare, & bibere ſpiritualiter.

Tertio notandum eſt olim etiam fuiſſe paruulis Euchariſtiam adminiſtratam, vt plane conſtat ex Cypriano ſermone de lapſis: cuius teſtimonium citat Augu-

ſtinus Epiſt. 23. ad Bonifacium, licet hoc iam fuerit per ſacra concilia abrogatum: nec in hoc vlla eſt controuerſia. *Epiſt. 23. ad Bonifat.*

Quarto notandũ, quod dupliciter põt intelligi, quod iſta ſententia: Niſi manducaueritis, ad paruulos ſpectet, quando ſuſcipiunt baptiſmi ſacramẽtum: vno modo, vt hæc ſententia intellecta de Sacramẽto Euchariſtiæ ad paruulos etiam pertineat, qui vere manducant corpus, & ſanguinem Domini, cum baptiſmum ſuſcipiunt: cum ibi virtualiter includatur votum Euchariſtiæ. Et hæc eſt vera ſententia, & tenenda, vt ſtatim probabimus. Alio modo intelligi poteſt, quod illa ſententia nullo modo intelligatur de Sacramento Euchariſtiæ, ſed abſolute de Sacramento Baptiſmi: nam illud manducare, & bibere intelligitur ſpiritualiter, vt idem ſit, quod credere in Chriſtum paſſum: & quia paruuli hoc in baptiſmo habent; ideo iſta ſententia de Sacramento baptiſmi debeat interpretari. Et hanc

nos ſententiam impugnauimus, & dicimus, eſſe improbabilem.

Ad argumentum ergo reſpondens dico primo, vt ſeparemus certa ab incertis,
„ certa fide tenendum eſt, quod non eſt ne
„ ceſſaria Sacramentalis ſumptio Euchari-
„ ſtiæ, vt ita dicam, in re pueris ante vſum
„ rationis neceſſitate finis, aut præcepti
„ pro conſecutione ſalutis. Volo dicere, quod licet ſententia illa ſit generalis: Niſi manducaueritis, &c. ita vt paruulos etiam comprehendat; tamen ibi non imponitur præceptum paruulis ſumendi Sacramentum Euchariſtiæ in re, ſed ſufficit pueris tale ſacramentum, ſpiritualiter videlicet in voto ſuſcipere. Hoc dictum probatur manifeſte, ex definitione Sacri Concilij Tridentini, ſeſſ. 21. c. 4. vbi ſic dicit: Denique eadem ſancta Synodus
„ docet paruulos vſu rationis carentes, nul-
„ la obligari neceſſitate ad Sacramētalem
„ Euchariſtiæ communionem. Siquidem
„ per baptiſmi lauacri regenerati, & Chri-

Seſſ. 21. c. 4.

ſto incorporati adeptam iam filiorum ,,
Dei gratiam in illa ætate amittere non ,,
poſſunt,&c. Et idem Conc. alibi ſic ait: *Can. 4.*
Paruulis, antequam ad annos diſcretio- ,,
nis peruenerint, neceſſariam eſſe Eucha ,,
riſtiæ communionem,anathema ſit. ,,

Dico ſecundo neceſſarium eſt neceſſitate finis, vel medij etiam pueris ante vſum rationis ſpiritualis ſumptio huius Sacramenti per votum, & propoſitum ſumendi illud ſuo tempore, quod quidē propoſitum eſt per actum Eccleſiæ cuius membra per baptiſmum efficiuntur. hoc dictum ex dicendis patebit.

Et pro eius explicatione Not.infantes non ſolum non obligari ad communionem re ipſa, ſed nec in voto explicito,cuius non ſunt vllo modo capaces; ſed tantum in voto implicito, quod votum infantes habent, dum baptizantur. Tunc enim infantes ius accipiunt ad Euchariſtiam percipiendam.Et quia omnis, qui naſcitur,naturaliter appetit cibum, ideo

etiam illi hoc ipſo, quod renaſcuntur in Chriſto, appetunt cibum renatorum ſuo loco, & tempore percipiendum, ſcilicet ſacram Euchariſtiam. Itaque infantes non communicant ſacramentaliter in re, ſed ſacramentaliter in voto implicito. ex quo ſequitur, quod nō eſt omnino idem in illis baptizari, & communicare, licet ſimul fiant, cum vnum ſequatur ex alio.

Explicatur hoc magis. Sicut enim, vt habetur ex S. Thomas 3.p.q.68.ar.5.ad 2.& eſt deſumptum ex S. Auguſt. Epiſt. 23. ad Bonifacium, dum pueri baptizantur, dicuntur credere non actu proprio ab ipſis pueris elicito, quem habere non poſſunt, ſed actu Eccleſiæ per patrinos nomine ipſius Eccleſiæ explicato; ita etiam & pueri non actu proprio, & voto ſumunt Euchariſtiam, ſed ex voto Eccleſiæ, illo actu ſuſceptionis baptiſmi declarato. Vnde etiam ſi puer baptizaretur ab infideli, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, etiam in illo actu includere-

S. Thomas 3.p.q.68. ar.5.ad 2. & eſt deſumptū ex S. Auguſt. ep. 23. ad Bonif.

tur

tur votum Eccleſiæ ſuſcipiendi Euchariſtiam,etiam ſi infidelis ſacrum hoc myſterium non cognoſcat;quia per illam applicationem aquæ baptiſmalis declaratur Eccleſiæ votum,& deſiderium.Quod autem pueris modo explicato ſit neceſſaria Euchariſtia,probat S. Auguſtinus lib. 1.de peccatorum meritis & remiſſione c. 20.Vbi,poſtquam aſſerit illa verba: Niſi manducaueritis,&c. non de Sacramento lauacri, ſed de Sacramento ſacræ Menſæ ſuæ a Domino eſſe dicta, ſequitur ſtatim: An vero hæc quiſquam dicere audebit, quod ad paruulos hæc ſententia non pertineat, poſſintq. ſine participatione corporis huius, & ſanguinis in ſe habere vitam?Et rurſus id confirmat ex alia ſententia, Ioannis 6. Panis, quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita. Quis autem ambigat, inquit Auguſtinus,ſeculi nomine homines ſignificatos eſſe?Qui naſcendo in hoc ſeculum veniunt, ſicut alibi dicitur:Filij ſeculi generant,& generantur,

Lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. c. 20.

Ioan. 6.

„ ac per hoc etiam pro paruulorum vita caro data eſt, quæ data eſt pro ſeculi vita; & ſi non manducauerint carnem, nec ipſi habebunt vitam. Sed clariſſime S. Auguſtinus hoc explicat eodem 1. lib. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 24. dum ita ſcribit: Optime punici Chriſtiani baptiſmum ipſum nihil aliud, quam ſalutẽ, & Sacramentum corporis Chriſti; nihil aliud quam vitam vocant. Vnde niſi ex antiqua, vt exiſtimo, & Apoſtolica traditione, qua Eccleſiæ Chriſti inſitum tenet præter baptiſmum, & participationem Dominicæ menſæ, non ſolum non ad regnum Dei, ſed neque ad ſalutem & vitam æternam poſſe quemquam hominum peruenire. Hoc enim & ſcriptura teſtatur ſecundum ea, quæ ſupra diximus. Nam quid aliud tenent, qui baptiſmum nomine ſalutis appellant, niſi quod dictum eſt: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. & quod Petrus ait: Sic & vos ſimili forma baptiſma ſaluos fecit? Quid aliud

Eod. lib. de pec. meiit. & remiſſ. c. 24.

ad Tit. 3.

1. Petri 3.

etiam qui Sacramentum menſæ Domini- *Ioannis 6.*
cæ vitam vocant, niſi quod dictum eſt: „
Ego ſum panis vitæ, qui de cœlo deſcen- „
di,& panis, quem ego dedero, caro mea „
eſt pro ſeculi vita:& ſi non manducaueri- „
tis carnem filij hominis,& ſanguinem bi- „
beritis,non habebitis vitam in vobis? Si er „
go vt tot, & tanta diuina teſtimonia con „
cinunt;nec ſalus, nec vita æterna ſine ba- „
ptiſmo, & corpore, & ſanguine Domini „
cuiquam ſperanda eſt; fruſtra ſine his pro „
mittitur paruulis, hæc Auguſtinus. Ex *Nota hæc Auguſti-ni verba.*
quibus Auguſtini auctoritatibus manife-
ſte conſtat infantulos, vt vitam æternam
habeant, debere Sacramẽto corporis Do
mini participare, quantum ad effectum,
qui tali Sacramento ſignificatur. Et huc
etiam tendunt verba Innocentij proxime
citata pro contraria opinione, quæ ha-
bentur in Epiſt. 93. S. Auguſtini, & re-
fertur etiam eadem Epiſt. tom. 1. Conci- *Epiſt. 93. tom. 1. Conciliorum. 3.p.q. 80. ar. 1. ad 3.*
liorum inter epiſtolas decretales Innocen
tij Primi. Videndus S. Thomas 3.p.q.80

art. 1. ad tertium, quando dicit effectum huius Sacramenti ſuſcipi, ſi aliquis Sacramentum habeat in voto, quamuis non accipiat in re; quam appellat S. Tho. manducationem ſpiritualem. Et quando arguis, quod fruſtra adhiberetur ſacramentalis manducatio, reſpondet S. Thomas, quod plenius inducit Sacramenti effectũ ipſa Sacramenti ſuſceptio, quam ſolum deſiderium; tamen votum, & deſiderium ſufficit ad effectum Sacramenti percipiendum.

Sed forſitam percontaberis, quis ſit iſte effectus Euchariſtiæ, qui ſuſcipitur à paruulo, cum ſacramentum ſuſcipit baptiſmi ex ipſo Eccleſiæ voto Euchariſtiæ. Reſpondetur, quod per baptiſmum fiunt paruuli de corpore myſtico Eccleſiæ, & ad vnitatem fidelium pertinent. hoc autem Sacramentum huius vnitatis ſignũ eſt; & ideo hoc Sacramento Euchariſtiæ modo aliquo pueri participant, nempe quantum ad rem ſignificatam, & poſ-

ſunt dici carnem Chriſti manducare, & bibere ſanguinem eius: vera enim caro, & verus ſanguis Chriſti in hoc ſacramento vnionis realiter continetur. Quatenus ergo ad rem ſignificatam pertinet, per illud idem Sacramentum, quo vnus efficitur, nempe baptiſmum, efficaciam Sacramēti Euchariſtiæ etiam participat; & ſic paruulos hæc Domini ſententia complectitur. qua ratione S. Thom. 3. p. q. 80. art. 4. ait in hæc verba loquens de Sacramento Euchariſtiæ: Grande ſacrilegium committunt, qui ad hoc ſacramētum accedunt in peccato mortali. dicit enim in corpore, quod res huius Sacramenti eſt duplex, vna quidem ſignificata, & contenta, ſcilicet ipſe Chriſtus; alia autem eſt ſignificata, & non contenta, ſcilicet corpus Chriſti myſticum, quod eſt ſocietas ſanctorum. quicumque ergo hoc ſacramentum ſumit, ex hoc ipſo ſignificat ſe eſſe Chriſto vnitum, & membris eius incorporatum: quod quidem fit per

S. Thomas 3. p. q. 80. art. 4.

„ fidem formatam, quam non habet, qui eſt in peccato mortali. Ex quibus verbis etiam explicatur S. Auguſtinus, quando dicit illa verba: Niſi manducaueritis, &c. debere intelligi de corpore Chriſti myſtico. Hoc enim non excludit, quod de Sacramento Euchariſtiæ intelligantur; immo neceſſe eſt de iſto venerabili Sacramento intelligi, vt illa vnitas corporis Chriſti myſtici recte ſignificetur.

Ex quo etiam ſoluitur illud argumentum, quando dicitur, quod ſequitur, quod daretur gemina gratia ſacramentalis his, qui ſuſcipiunt baptiſmum. Reſpondetur quod ſi loquamur de gratia gratum faciente, illa affluenter datur pueris ex Sacramenti baptiſmi ſuſceptione, nec eſt opus, vt detur gemina gratia, quia detur alius gradus gratiæ gratum facientis correſpondens Euchariſtiæ ex voto ſuſceptæ: ſufficit ſiquidem illa gratia baptiſmalis. Si vero loquamur de gratia, prout ſignificat peculiare donum, & au-

xilium à Deo exhibitum per Sacramentum, ſic concedimus geminam dari gratiam, vnam, quæ correſpondet baptiſmo ſuſcepto, nempe regenerationem, ad inchoandam vitam ſpiritualem, & alteram quæ correſpondet Euchariſtiæ ex voto ſuſceptæ, nempe vnitatem illam, qua puer incorporatur corpori Chriſti myſtico, & communioni ſanctorum. & hæc eſt propria diuini Sacramenti Euchariſtiæ, quod eſt vnitatis Sacramentum. Ex his etiam dictis conſtat ſolutio ad alteram replicam.

Et reſpondetur negãdo, quod ſi puer baptizetur ab infideli non ſit notus Eccleſiæ; quia Eccleſia votum actuale non habet: nam ex eo, quod infidelis baptizans intendit facere, quod facit Eccleſia in illa applicatione eſt ipſius Eccleſiæ virtuale deſiderium, & votum, quod ſufficit, vt dictum eſt.

OSTENDITVR QVA RAtione pueris ſit interdicta ſuſceptio rea lis ſanctiſsimi Sacramenti Eucharistiæ, & ſimul alia difficultates enodãtur. Cap. XXI.

TErtio dico pueris iure optimo ab Eccleſia ſuſceptio realis, & Sacramentalis Euchariſtiæ eſt interdicta. Hæc concluſio probatur aliquibus rationibus, & prima eſt, quæ ſumitur ex Paulo, 1. ad Cor. 11. qui loquens de
1. *ad Cor.* 11. ſuſcipientibus hoc ſacramentum, dicit. Probet ſe ipſum homo, &c. Quod ſolum poteſt ad adultos referri, qui ſolum poſſunt ſe ipſos examinare, vt diſpoſiti poſſint ad hoc ſacramentum accedere. Secunda ratio eſt, quia ad ſuſcipiendũ hoc ſacramentum requiritur maxima reuerentia, & deuotio, quam pueri abſque rationis vſu habere non poſſunt. Quæ

duæ rationes deſumptæ ſunt ex S. Thoma 3. parte quæſt. 80. art. 9. ex primo argumento & ex corpore articuli. Tertia ratio eſt quæ ſumitur, ex ipſius Sacramenti natura. Cum enim cibus, & potus ſpiritualis ſit, & ad nutritionem ſpiritualem pertinens, debet his applicari, qui indigent nutritione. Dicitur enim Ioan. 6. Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus: & vt optime docuit Concilium Florentinũ in decreto Eugenij 4. c. de Sacramento Euchariſtiæ, hoc alimẽtum ſpirituale in ordinatione ad ſpiritualem vitam omne id præſtat, quod ſolet alimentum corporale, ſiquidem ſuſtentat, auget, reparat, & delectationem affert. Omnes autem iſti effectus ſupponunt in ſuſcipiente actualem vitam, in actu, inquam, ſecundo, qualis operatio eſt nutritio. Cum ergo in pueris ſolum in actu, primo reperiatur vita ſpiritualis, videlicet habitualiter, merito eis non conceditur vſus huius alimẽti ſpiritualis. Vita enim il-

S. Thomas 3. p. q. 80. art. 9. ex primo argum. & ex corp. articuli.

Ioan. 6.

Conc. Flo. In decreto Eugenij 4. c. de Sacram. Euchar.

lorum per gratiam in baptiſmo infuſam ſuſtentari poteſt ſine iſto ſacro actuali alimento. Nō enim illorum vita ſpiritualis diminui poteſt, nec ab hoſtibus oppugnari, donec ad vſum perueniāt rationis. Ideo non indigent aliqua reparatione, quæ fit per hunc ſacratiſſimum cibum; quam etiam rationem affert Concilium Tridentinum c. illo 4. citato ſeſs. 21. Dicens, quod paruuli poſt gratiam baptiſmalem, qua regenerantur, & incorporantur Chriſto, non indigent actuali manducatine Sacramenti Euchariſtiæ; quia gratiam illā amittere non poſſunt in illo ſtatu.

Cōc. Trid. c. 4. citato ſeſſ. 21.

Sed contra. nam videtur, quod nullo modo poſſit dici hoc Sacramentum, nec etiam in voto applicari paruulis. Nam Concilium Tridentinum ſeſs. 23. c. 2. ibi tractans de inſtitutione huius Sacramenti, dicit, quod inſtituit illud tamquam cibum ſpiritualem ad confortandum, & perficiendum vitam ſpiritualem, & tamquam antidotum ad præſeruandum à

Seſſ. 23. c. 2.

mor-

mortalibus. Ergo ex Chriſti inſtitutione non poteſt hoc Sacramentum applicari paruulis; quia paruulis nullo modo hæc competere poſſunt. Reſpondetur, quod etiam in eadem ſeſs. & c. dicitur, quod voluit Chriſtus eſſe ſymbolum vnitatis Eccleſiæ ſuæ, cuius membra voluit eſſe certiſſima fidei, ſpei, & charitatis vnitate coniuncta: quam vnitatem hoc Sacramẽtum ſignificat, vt retulimus ex S. Thoma. Hæc enim vnio corporis Chriſti myſtici eſt res ſignificata, non contenta; & ſacramenta efficiunt quidem, quod ſignificãt. Tribuendum igitur eſt huic Sacramento non ſolum effectus correſpondentes cibo corporali, ſcilicet ſuſtentare, augere, præſeruare, delectari; ſed etiam adunare in corpore, & vnire cum Chriſto, & eius Eccleſia; ſecundum illud 1. Cor. 10. Multi vnum corpus ſumus. Talis ergo effectus eſt, quem tribuit hoc Sacramentum ſuſceptum in voto Eccleſiæ pueris, quando baptiſmum ſuſcipiunt. Sed ſi Concilium li- *1. Cor. 10.*

Seſs. ead. c.2.

bet alta mente conſiderare in eadem ſeſs. c.2. expreſſe colligitur ratio, quæ maiorem vim habet ad comprobandum; quare pueris non detur hoc Sacramentum diuinum in re, & ea eſt; quia Eccleſia catholica habet poteſtatem à Chriſto conceſſam inſtituendi circa ſacramentorum vſum, ſalua illorum ſubſtantia, quod ipſorum vtilitati, & debitæ ipſius reuerentiæ cõueniens fuerit. Quia igitur, vt experientia ipſa facile cognoſci poterat, magna irrogabatur irreuerentia tanto Sacramento propter periculum euidens vomitus, & expuitionis puerorum, &c. merito declarauit Eccleſia hoc Sacramentum non debere pueris adminiſtrari, donec ad vſum rationis perueniant. Talis enim actualis ſuſceptio non eſt pueris iure diuino ad ſalutem neceſſaria, vt dictum eſt. Sufficit enim illis ſuſceptio ſpiritualis huius Sacramenti in voto; qua Chriſto vniuntur, & incorporantur, vt corpori eius myſtico S. Eccleſiæ, quod habent conſe-

quenter ex eo, quod ſuſcipiunt baptiſmi Sacramentum.

Sed contra hoc eſt argumentum. Nã ſi manducatio ſpiritualis eſt neceſſaria ad ſalutem propter baptiſmum; ſequitur, quod aufertur efficacia à baptiſmo. quod patet; quia baptiſmus ſine voto huius Sacramenti, non eſt ſufficiens ad conferendam ſalutem; ergo habet efficaciam ab iſto Sacramento Euchariſtiæ acceptam. Ad hoc argumentum reſpondetur, quod ſicut non ſequitur auferri efficaciam à baptiſmo ex eo, quòd ille dimanauerit à paſſione Chriſti, & eius inſtitutione; ita etiam licet concedamus, quod baptiſmus habet efficaciam perducendi ad vitam æternam ſimul cum perceptione Sacramenti Euchariſtiæ: nullum erit inconueniens. Nam Euchariſtia eſt finis omnium Sacramentorum, in qua totus Chriſtus vere realiter, atque ſubſtantialiter continetur, tamquam totius gratiæ fons, de cuius plenitudine nos omnes accepimus. Ex

quo etiam habet ſignificare iſtam vnionē corporis Chriſti myſtici, & illam, cum hoc Sacramentum Euchariſtiæ ſuſcipitur, efficere, ſiue ſacramentum ſumatur in re, ſiue in voto: & hoc habetur ex inſtitutione ipſius Chriſti. Quare ex hoc non aufertur efficacia à baptiſmo. Nam qui dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritus ſancto,&c. etiam dixit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. vnde argumentum hoc non habet aliquam vim.

Sed illud, quod additur in illa confirmatione huius tettij argumenti, non caret difficultate; quare, inquam, ſufficiat ad ſalutem Euchariſtia ex voto ſuſcepta, non vero baptiſmus. Ad quod reſpondetur,& colligitur ſolutio ex S. Thoma; 3. par.q.73.art.3.quod maxima eſt differētia inter ſuſceptionem baptiſmi, & Euchariſtiæ. Nam cum baptiſmus ſit ianua omnium ſacramentorum,& primum medium ad inchoandam vitam ſpiritualem

S. Thomas 3.p.q.73. ar.3.

non confert pueris effectum, niſi realiter ſumatur, & ratio eſt, quia cum ſit primũ medium, quod eligitur, non poteſt dici, quod in alio priori volito velit baptiſmũ ſaltem virtualiter. At vero cum Euchariſtia præſupponat baptiſmi Sacramentũ, tamquam medium ordinatum ad ipſum, optime dicitur, quod qui vult baptizari, & realiter baptizatur, vult etiam Euchariſtiam: Scilicet qui vult medium ordinatum ad aliquem finem, vult etiam & finem. Neq. poteſt dici, quod voluntas eccleſiæ ſit voluntas pueri ante baptiſmũ, etiã in caſu propoſito, quod puer mortẽ cũ vita cõmutauerit, quãdo deferebatur ad Eccleſiam ad hoc, vt baptizaretur. nam quantumvis præceſſerit Cathechiſmus, & exorciſmus, nunquam dabitur, quod talis puer ſit membrum Eccleſiæ, niſi reali ſuſceptione baptiſmi fuerit decoratus. ex quo quidem habet, quod ſit Eccleſiæ membrum ſignis Chriſtianiſmi inſignitus, charactere, inquam, fide, ſpe, &

cha-

charitate: quibus militiæ Chriſtianæ tanquam viuum membrum adſcribitur. Neque eſt ſimile de adultis; nam adultus, qui vult baptiſmi Sacramentum ex voto, proprio ſuo tempore ſuſcipiendum habet iam ante baptiſmum realiter ſibi applicatum aliquid, quo efficitur membrum Eccleſiæ, nempe fidem, quæ per dilectionẽ operatur; qua ſubijciẽs ſuum intellectum in obſequium Dei, & Chriſti, ſuamq. etiam voluntatem, vult eligere omnia, quæ à Deo ſunt ordinata pro hominum ſalute, inter quæ præcipua ſunt baptiſmus, & Euchariſtia. Hoc autem pueri habere non poſſunt: Ergo.

Dico vltimo, ſi loquamur de hoc Sacramento, quatenus cibus eſt inſtitutus ad animæ refectionem, & ſuſtentationem, ſic dico illam Domini ſententiam: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. ſolum ad adultos ſpectare, qui indigent tali refectione, & ſubſtentatione in re, & iuxta hunc ſenſum concludit illud argu-

mentum D.Caietani in principio, quod non pertinet ad pueros ſuſcipere realiter hunc cibum, quibus non tribuitur manducare, ſed ſolum lac ſugere, &c. Qua ratione ſic intelligendo aliqui Doctores exiſtimarunt illam ſententiam Domini ſolũ adultos comprehendere, quibus proprie conuenit manducare corpus, & bibere ſanguinem Domini per propriam actionem. ex quo non ſumitur neceſſitas ſumẽdi vtramque ſpeciem, vt ſupra probatum eſt. Nam qui manducat corpus Domini ſub vnica ſpecie panis, etiam & ſanguinem ſumit, cum ſub illa vnica ſpecie totus Chriſtus integraliter ſit cum diuinitate, anima, & viuifico ſanguine.

Quod ſi rurſus dicas, quod illa ſententia generalis eſt, ſicut illa: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, reſpondetur id eſſe verum. Ideo nos diximus illam ſententiam, vt ſic, comprehendere non ſolum adultos, ſed etiam paruulos, quatenus eſt in voto, vel in re ſuſci-

pere hoc Sacramentum ; & quatenus ratio vnionis cum Chriſto , & corpore eius myſtico per hoc Sacramentum participatur , cum per Eccleſiæ votum baptiſmus à pueris ſuſcipiatur, aut ab adultis, qui legitime impediti non poſſunt Sacramentũ ſuſcipere, tamen fructum eius ex proprio voto, & deſiderio ſuſcipiunt, vel quatenus cibatio illa, & refectio, & realis ſumptio percipitur: & ſic ſolum conuenit adultis. Et hæc ſufficiant pro ſolutione iſtius argumenti tertij vna cum ſua confirmatione. Ad omnia enim, quæ ibi adducuntur, patet ſolutio ex dictis.

Nos autem breuitate ſtudentes, qua potuimus diligentia tractauimus mare vaſtum, & ſpatioſum valde huius difficultatis, in quo aliqui fluctuantes omni vento doctrinæ circa fidem naufragauerunt, contra quos multi doctores catholici, quos citauimus, præclariſſima commentaria ediderunt: ibi videantur, in quibus erit facile multa præclara ingenio, & in-

duſtria elaborata inuenire, quæ nos omiſimus. Vtinam & quæ nos zelo veritatis, & religionis adduximus, ſint ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei.

AD ALIA ARGUMENTA aduerſariorum in principio diſputationis adducta reſpondetur. Caput XXII.

SVpereſt ad alia reſpondere argumenta, & ad quartum de ſumptum ex verbis ſeruatoris noſtri in hoc c.6. vbi Iudæis ſcandalizatis dixit: Spiritus eſt, qui viuificat, caro autem non prodeſt quidquam, &c. Et rurſus: Verba, quæ ego loquor, ſpiritus, & vita ſunt, &c. Reſpondetur primo ex S. Chriſoſtomo homil. 46. in Ioannem c. 6. ſuper hæc verba. Vbi licet ſpiritualiter verba eſſe intelligenda affirmet, non tamen de manducatione, quæ per fidem, fit verba interpretatur; ſed de ipſa reali, quæ fit in Eu- *S. Chriſoſt. hom. 46. in Ioan.*

chariſtiæ Sacramento. Sed dico loqui ip-
ſum ſpiritualiter, quia de auditione ſpi-
rituali, & non carnali Chriſtum loqui aſ-
ſerit; quaſi ſenſus ſit caro, non prodeſt
quidquam, id eſt auditio carnalis, quæ ſe-
„ cundum carnem fit. Ita enim, inquit, ſe-
„ cundum ſpiritum verba mea audienda
„ ſunt. Qui ſecundum carnem audit, nihil lu
„ cratur, nihil vtilitatis accipit, carnale eſt
„ dubitare, quo modo de cœlo deſcendit,
„ & Ioſeph filium arbitrari, & quo modo
„ poſſit nobis carnem ſuam dare ad man-
„ ducandum. Hæc, inquam, omnia carna-
lia, quæ myſtice, & ſpiritualiter intelligē-
da ſunt, & concludit: caro non prodeſt
quidquam: non de ipſa carne, ſed de car-
nali auditione dictum eſt. Hæc S. Chryſo-
ſtomus. Eſt igitur hæc differentia, quod,
qui carnaliter audiunt verba, vt dicuntur,
& materialiter accipiunt, & ſeruandum
iudicium carnale ſentiunt; at vero ſpiri-
tualiter intelliguntur, quando quis diuina
myſteria, ſecundum Deum audit, & ſa-

pit: & quia ſic Capharnaitæ non audiebant, ideo in reprehenſionem incidunt Chriſti Domini.

Aliter, & melius reſpondet S. Cyrillus, cum lib. 4. in Ioannem c. 23. & 24. Vbi aſſerit, quod caro de ſe nihil prodeſt ad dandam vitam; at vero caro ſpiritui, & diuinitati coniuncta efficax eſt, & multũ prodeſt. Sic tamen dicit Cyrillus: Putatis me dixiſſe viuificum natura ſui terreſtre eſſe hoc corpus? Ego vero de ſpiritu, & vita æterna locutus ſum: Non enim natura carnis viuificum reddit ſpiritum; ſed ſpiritus virtus viuificam carnem efficit. Natura carnis ipſa per ſe viuificare non poteſt. Quid enim maius natura deitatis haberet? Nec ſola in Chriſto eſſe intelligitur, ſed habet filium Dei ſibi coniunctum, qui cõſubſtantialiter vita eſt. Quãdo ergo viuificam Chriſtus ipſam appellat, non ita illi, vt ſibi ſuo proprio ſpiritui vim viuificandi attribuit. nam propter ſe ipſum ſpiritus viuificat, ad cuius virtu-

Lib. 4. in Ioan. c. 23. & 24.

„ tem per coniunctionem caro conſcendit.
„ Idem,& clarius aſſerit c.23.in hæc verba:
„ Nam ſi ſola intelligitur caro, nihil pror-
„ ſus viuificari poteſt: quippe qui viuifican
„ te indigeat.Enim vero incarnationis my-
„ ſterium laudabili cura ſcrutati fueritis,&
„ habitantem in hac parte cognoueritis.
„ Quamuis nihil penitus caro per ſe ipſam
„ poſſit: viuificam tamen eſſe factam credi
„ tis,niſi etiam Spiritum ſanctum non poſ-
„ ſe viuificare concedatis? Nam quoniam
„ cum viuificante verbo caro cõiuncta eſt,
„ tota eſt effecta viuifica.Nõ enim ad cor-
„ ruptibilem ſuam naturam iunctum Dei
„ verbum detraxit, ſed ipſa ad meliorem
„ virtutem eleuata eſt. Quamuis ergo, vt
„ caro eſt,viuificare nequeat, facit tamen
„ hoc, quia totam verbi operationem ſu-
„ ſcepit. Corpus enim non cuiuſuis homi-
„ nis, cuius caro prodeſſe quidquam non
„ poteſt.Non enim Pauli, aut Petri, aut cæ
„ terorum;ſed ipſius vitæ,& Saluatoris Ie-
„ ſu Chriſti Corpus, in quo deitatis pleni-

tudo corporaliter habitat, facere hoc po- „
teſt. Nam ſi mel, cum naturaliter dulce „
ſit, ea dulcia facit, quibus permiſcetur; „
non ne ſtultum erit viuificam verbi na- „
turam putare non dediſſe homini, in quo „
habitat, viuificãdi virtutem? Quas ob res „
caro quidem cæterorum omnium, quid- „
quam vere nõ prodeſt. Caro autem Chri „
ſti, quia in ipſa vnigenitus Dei filius habi „
tat, ſola viuificare poteſt. Spiritum vero „
ſe ipſum appellat; quoniam Deus ſpiri- „
tus eſt. Ioan. 4. & vt ait S. Paulus. 1. Co. 3. *Ioannis 4.*
Deus ſpiritus eſt. hæc Cyrillus. Facit *1. Cor. 3.*
etiam & Epiſtola eiuſdem ad Neſtoriũ
quæ habetur in Concilio Epheſino, tom. *Cõc. Eph.*
1. c. 14. quod nos adduximus in princi- *tom. 1. c.*
pio huius diſputationis. Sed ad plenam *14.*
explicationem horum verborum Chriſti
Domini accedat S. Auguſtinus, qui tract. *S. Auguſt.*
27. in Ioannem, exemplo ſcientiæ præ- *tract. 27.*
dicta à Sãcto Cyrillo magis explicat: ſic *in Ioan.*
enim ait: O Domine Magiſter bone, quo
modo caro non prodeſt quidquam? cum

„ tu dixeris: Niſi manducaueritis carnem
„ meam, & biberitis ſanguinem meum, nõ
„ habebitis vitam in vobis? An vita non pro
„ deſt quidquam? Quid eſt ergo non pro-
„ deſt quidquam? quo modo ſcilicet illi in-
„ tellexerunt, & quo modo intellexerunt?
„ carnem quippe intellexerunt: quo modo
„ in cadauere dilaniatur, aut in macello vẽ
„ ditur, non quo modo ſpiritu vegetatur?
„ Proinde ſic dictum eſt: Caro non pro-
„ deſt quidquam, quo modo dictum eſt
„ ſcientia inflat? an ergo debemus odiſſe
„ ſcientiam? abſit, & quid eſt, ſcientia in-
„ flat? ſola ſine charitate: ideo adiunxit:
„ Charitas autem ædificat. Adde ergo
„ ſcientiæ charitatem, & vtilis erit ſcien-
„ tia, non per ſe, ſed per charitatem. Sic
„ etiam nunc caro nõ prodeſt quidquam,
„ ſed ſola caro; accedat ſpiritus ad carnẽ,
„ quo modo accedit charitas ad ſcientiã,
„ & prodeſt plurimum. Nam ſi caro non
„ prodeſſet, verbum caro non fieret, vt ha-
„ bitaret in nobis. Si per carnem multum

nobis profuit Chriſtus, quo modo caro nihil prodeſt? hæc Auguſtinus. Ex quo conſtat id Chriſtum Dominum voluiſſe ſignificare, vt caro nihil per ſe proſit ad vitam, ſed tamen coniuncta diuino verbo,& ſpiritui multum prodeſt, vt dictum eſt. Et quia cum ſacramentaliter ſumitur, carni diuinitas coniuncta eſt, ideo qui manducat eius carnem, habet vitam æternam. Eodem modo explicat hanc Domini ſententiam ante hos ſanctos Doctores S. Athanaſius in lib. de Incarnatione Chriſti in hæc verba: In communionem corporis Domini admiſſi ſumus, quemadmodum ipſe dixit: Panis, quem ego dabo, pro mundi vita eſt. Spiritus enim viuificans eſt caro Domini, quoniã ex ſpiritu viuificante eſt concepta. Quod enim ex ſpiritu naſcitur. ſpiritus eſt. hæc Athanaſius. Ireneus lib. 5. diſtinguit varios ſignificatus carnis,& ſpiritus; ita tamen vt poſito ſpiritu, non negetur caro, ſed ornetur; ſicut quod ait Paulus: Vos nõ

In libr. de incarnat. Chriſti.

Ireneus. Lib. 5.

eſtis in carne,ſed in ſpiritu, ſi modo ſpiritus habitat in vobis: non negat eos habere carnem, ſed hanc dirigi à ſpiritu ſcribit; ita & hic non negat Chriſtus carnem ſuam, ſed viuificari aſſerit à ſpiritu, id eſt diuinitate ſua. Ex quo habet caro Chriſti, quod ſit viuifica: & cum ſacramentaliter ſumitur, & manducatur, vt par eſt, vitam, quatenus eſt de ſe, tribuit æternã. Ex quo patet, quo modo iſte locus intelligi debet, qua ratione & intelligitur illud, quod ſequitur: Verba, quæ ego loquor, ſpiritus, & vita ſunt; ideſt: Verba, quæ ego loquor, non ſunt de re carnali, ſed de re ſpirituali, & viuifica ſunt: id eſt de viuifica, & naturali vita ſunt. Carnem
Cyrillus Cap. 24. ſuam, vt recte Cyrillus c. 24. annotat, ſpiritum vocat propter vnitam diuinitatẽ. Verba autem ſpiritum, & vitam ratione materiæ, de qua tractant, vt non de carnali aliqua re, vt illi intelligebant; ſed de carne viuifica, & modo ſpirituali accipienda dicta intelligantur.

Ad id, quod additur ex S. Auguſtino, reſpondetur eſſe verba antecedentia S. Auguſtini attente conſideranda; ex quibus poteſt peti declaratio verborum ſequentium, de quibus fit mentio in argumento. Ita enim ait, priuſquam illa verba proferret ſuper illo: Adorate ſcabellum pedum eius: Durum, inquit, illis viſum eſt, » quod ait: Niſi manducaueritis carnem » meam, non habebitis vitam æternam. Ac- » ceperunt illud ſtulte. Carnaliter illud co- » gitauerunt, & putauerunt, quod preciſſu- » rus eſſet Dominus particulas quaſdam de » corpore ſuo, & daturus illis, & dixerunt: » durus eſt hic ſermo. Ipſi erant duri, non » ſermo. Etenim ſi duri non eſſent, ſed mi- » tes eſſent, dicerent ſibi: Non ſine cauſa » dicit hoc, niſi quia eſt ibi aliquod latens » Sacramentum. Manerent cum eo lenes, » non duri, & diſcerent ab illo, quod, illis » diſcedentibus, qui remanſerunt, didice- » runt. nam cum remanſiſſent cum illo di- » ſcipuli duodecim, illis recedentibus, ſug- »

„ geſſerunt illi, tamquam dolentes illorum „ mortem, quod ſcandalizati ſunt in verbo „ eius, & receſſerunt. Ille autem inſtruxit „ eos, & ait illis: Spiritus eſt, qui viuificat; „ caro autem nihil prodeſt. Verba, quæ lo„ cutus ſum vobis, ſpiritus ſunt, & vita. „ Spiritualiter intelligite, quæ locutus ſum „ vobis &c. Quare, inquiens, non corpus „ quod videtis, non ſanguinem, quem fuſu„ ri ſunt, &c. Procurat craſſam Caphar„ naitarũ opinionem animis auellere, quaſi „ dicat; vt iam declarauerat in iſto loco ci„ tato; Non ita res ſe habet, vt corpus „ meum iam oculis expoſitum, & in parti„ culas ſectum edatis, nec etiam ſanguinem „ meum, viſibili hac & externa ſpecie effu„ ſum bibetis: ſed inuiſibiliter in Sacramen„ ti myſterio vobis dabo. Vbi accipietis, „ quod ſenſui quidem veſtro obſcurũ erit, „ ſed intellectui lumine fidei illuminato cer„ tiſſimum erit. Vnde ſequitur: Spirituali„ ter intellectum viuificabit vos. Et inuiſibi„ liter oportet intelligi, non quo modo illi

car-

carnaliter cogitaruerunt, & ſomniarunt, »
quod præciſſurus eſſet dominus particu- »
las quaſdam de ſuo corpore, & daturus »
illis. »

Ex quo plane conſtat, quo pacto velit »
intelligere hoc myſterium S. Auguſtinus
myſtice, & ſpiritualiter. Hoc modo etiam
explicat S. Auguſtinum Iuo Epiſcopus
Cænodenſis, vir pietate, & ingenio cele-
berrimus in Epiſtola ad Haimerium Ab-
batem, vt refert Ioannes Groperius in ſuo
libro de præſtantiſſimo altaris Sacramē-
to. Non corpus, quod videtis, &c. ita ex- »
plicat: Ipſum Corpus, & non ipſum co- »
medetis; ipſum quidem materiali eſſen- »
tia, ſed non ipſum viſibili forma. Quam- »
uis enim Dominus ſemel in aperta ſuorū »
membrorum expanſione, & luculenta »
corporis ſui exhibitione, ad viuentem, cor »
poralem, & morti obnoxiam hoſtiam ſe »
obtulerit; nihilominus tamen in dies ſub »
velamento panis, & vini à Sancta Eccle- »
ſia offertur, nec corpus ſuum fruſtulatim »

ſeca-

" ſecatur, nec ore fidelium cruente ſumi-
" tur. Hoc enim eſt (vlterius proſequitur)
" quod Auguſtinus ait: Non corpus, quod
" cernitis, edetis; quando quidem quo mo-
" do negaſſet ſanctiſſimus vir illud, quod
" ab altari accipimus, corpus Chriſti habe-
" ri; cum idem in ſuis libris toties inculcet,
" & comprobet? hæc iſte auctor. Ex quibus
" verbis optime conſtat intentio S. Auguſti
ni, & quod merito addit: Sacramentum aliquod vobis commendauit, ſpiritualiter intellectum viuificabit vos. & ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi. Vnde non eſt ſenſus Auguſtini, quod hæc, quæ hic Dominus dicit ſpiritualiter debeant intelligi, hoc eſt de fide in Chriſtum crucifixũ, & paſſum, & non de myſterio ſacræ Euchariſtiæ. ſed, vt diximus, id vult S. Auguſtinus, quod hæc verba non carnaliter ſumenda ſunt, vt Capharnaitæ accipiebãt, vt iam explicatum eſt. Optime etiam explicat hunc locum Auguſtini Magiſter

Toletus ſuper Ioannem ſuper illa verba: verba, quæ locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt. Vbi ſic ait: Perpende, Auguſtinū ſpiritualem intellectum ponere in eo, quod etiam ſi caro miniſtretur, & viſibiliter Sacramentum ſub ſpeciebus viſibilibus celebretur; tamē intellectu percipiendum eſt, quod latet; nec caro in partes diuiſa manducanda eſt; ſed tota inuiſibiliter. Dominus autem his verbis illam ſtultam manducationem illorum remouit, non autem realem manducationem in Sacramento. Et hæc dicta ſint de hoc argumento.

AD AUCTORITATES QUAE pro ſe afferebant aduerſarij ex S. Auguſtino & alijs Patribus. Cap. XXIII.

AD quintum ex eodem S. Auguſtino, & aliis Patribus reſpondetur, & ſupponendum eſt pri-

mo ea ratione aliquando S. Auguſtinum, explicando hoc c. 6. Ioannis, confugiſſe ad manducationem ſpiritualem, quæ eſt per fidem viuam, ne deciperentur ſumentes, hoc Sacramentum exiſtimantes, etiã ſi ſacramentaliter tantum, & dentibus premerent; illos poſſe cõſequi quod Chriſtus promittit, ſcilicet manere in Chriſto, & Chriſtum in ipſis, & habituros vitam æternam. Quia poteſt contingere, quod aliquis ſumat ſacramentaliter ſanguinẽ, & corpus Chriſti; & tamen quod non habeat vnionem cum Chriſto, nec vitam æternam, vt qui indigne accedunt, non diiudicantes corpus Domini, vt ait Paulus ad Corinthios. Hoc ergo intendit S. Auguſtinus edoctus à Paulo, non ſufficere ſacramentalem manducationem corporis & ſanguinis Chriſti, ſed neceſſarium eſſe ſimul manducare ſpiritualiter Chriſtum in Sacramento per fidem, quæ per dilectionem operatur, & hæc manducatio ſine ſacramentali, vel reali poteſt tribuere

vitam æternam. ſacramentalis vero ſine hac non. Et ideo ad fidem recurrit; qua ratione reſpondetur primo, quod S. Auguſtinus in illis verbis: Crede & manducaſti, & in alijs tractatu 26. loquitur de præparatione, quæ requiritur ad ſuſcipiẽdum Sacramentum. Vbi aſſerit animum eſſe maxime fide præmuniendum: neque ſufficere dentibus premere Sacramentum, niſi fide etiam præcipiatur. Neque reijcit per hoc corporalem eſum, cum aſſerat Iudam comediſſe ſolo corpore. Sed ſolum anteponit ſpiritualem manducationem corporali, quod illa ſine iſta proſit; iſta ſine illa non proſit, ſed obſit. Similis locus eſt Oſeæ. 6. Miſericordiam volo, non ſacrificium. Non enim Dominus reſpuit ſacrificia, ſed nõ vult illa, ſi abſq; miſericordia ſint. Non ergo per hoc excludit manducationem ſacramentalem: immo de illa affirmat intelligi hoc caput Ioannis in multis locis iam à nobis allatis. Quare tract. 26. in Ioannem ſic ait, vt ſe

Auguſt. Tract. 26.

Oſeæ. 6.

Tract. 26. in Ioan.

explicet, quid voluerit dicere in hac ſen-
„ tentia: Qui non manet in Chriſto, & in
„ quo non manet Chriſtus, proculdubio
„ non manducat ſpiritualiter carnem eius,
nec bibit eius ſanguinem, licet carnaliter
& viſibiliter premat dentibus Sacramen-
tum corporis,& ſanguinis Chriſti. Addu-
cit ad hoc propoſitum Catherinus in ſua
Apologia contra Caietanum illud Math.
9.& Marci. 3.de muliere, quæ ſanata eſt,
cum tageret fimbriam veſtimenti Chri-
ſti. Alij, inquit quidem ipſe, ex turba tan-
gebant, ſed non ſanabantur: iſta autem
mulier,quia fide tetigit,ſanata eſt. Vnde
„ de illa verificatur: Spiritus eſt, qui viuifi-
„ cat, caro autem non prodeſt quidquam.
Spiritualiter enim tetigit mulier illa acce
dens ad Chriſtum fide viua,& ſanata eſt:
& ideo ſpiritus viuificauit eam,vnde vir-
tus exhibat.Sic etiam Sacramentum, etiã
ſi dentibus prematur, niſi fide viua teti-
gerimus, non viuificabit nos. Eodem
etiam modo fidem requiſiuit Deus in in-

carna-

carnatione in Beata Virgine; vnde ait Eliſabeth: Beata, quæ credidiſti, &c. Quare quando S. Auguſtinus requirit fidem, exigit præparationem, quæ requiritur ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum, videlicet fidem viuam, qua ornatus manducat Dominum pauper, ſeruus, & humilis.

Secundo reſpondetur, quod S. Auguſtinus loquitur de his, qui legitime impediti Sacramentum ſuſcipere nō poſſunt: His enim ſola fide, fide inquam viua ſufficit percipere hoc Sacramentum, videlicet in voto, de quo iam ſupra dictum eſt.

Ad illud vero Auguſtini lib. 3. de doctrina Chriſtiana, reſpondetur in eo appellare S. Auguſtinum iſtam locutionem figuratam, quod non ſenſibiliter caro Chriſti manducanda eſt, modo ferino, aut in fruſtra ſecanda; ſicut in macello. Hoc enim flagitium eſſet ſecundum modum, quo Capharnaitæ intelligebant. At vero ſecundum ſubſtantiam; realiter illa verba accipienda ſunt; & in ſenſu littera- *Auguſtini Libr. 3. de doct. Chri.*

li, quia nihil contra bonos mores, nec contra fidem ſequitur, ſi de manducatione reali hæc verba intelligamus: Immo ex Euangelio, & Paulo habemus hũc eſum Chriſti realem: Ergo verba iſta tam expreſſa ſic ſunt interpretanda. Optime declarat Auguſtinum Doctiſſimus Rubertus Bellarminius in ſuis controuerſiis de Euchariſtia, vbi ſic ait: lib. 1. c. 7. Reſpondemus figurã ponere Auguſtinũ his verbis, in ratione modi ſumẽdi carnẽ Chriſti, non ratione ſubſtantiæ ipſius rei. Non enim vult dicere carnem Chriſti tropice dictam, manducari, id eſt panem, quo ſignificatur caro; nec veram carnem tropice manducari; ſi eſſentiam manducationis expectemus, quæ ſolum requirit, vt verus cibus ab ore traijciatur ad ſtomachum per inſtrumenta vitalia. Sed vult dicere tropice manducari, quo admodum: nam ordinarius, & proprius modus manducandi carnem eſt, vt ea viſibiliter ſecetur in partes, & particulatim

ſumatur, & cocta, non cruda, &c. Caro autem Chriſti ſumitur integra, & inuiſibiliter, & ſine vlla ſui læſione, quare non proprie, ſed tantum figurate Chriſti caro occiditur, & laceratur in hac manducatione; repræſentamus ſiquidem Chriſti paſſionem: Auguſtinum autem id voluiſſe perſpicuum eſt ex duobus; primo quia dicit tropice ad exponendum, ne ſcelus aliquod, vel flagitium præcipi videatur. Porro ſcelus eſſet Chriſti carnem occidere, & ſecare in partes, non autem ſpirituali quodam modo ipſam verã carnem ſine vlla ſui læſione in Sacramento ſumere: ſecundo quia idem ipſe explicat, quis ſit litteralis ſenſus, qui ſcelus ſonare videatur, videlicet is, in quo verba Chriſti acceperunt Capharnaitæ, qui putarunt carnem Chriſti laniandam, ſicut in macello fieri videmus, & cuiq. particulam dandam. Vide S. Auguſtinum tract. 27. in Ioannem, & in pſal. 98. Cum igitur Auguſtinus dicit hoc præcepto: Niſi

S. Aug. de verbis Euangelij.

S. Augu. tract. 27. in Ioan. et in pſal. 98

manducaueritis, mandari, vt communicemus Chriſti paſſioni, & eam recolamus, ac mente reuoluamus; id ipſum ſignificat, quod Apoſtolus ait 1. Cor. 11. ſumendam Chriſti carnem in ſacramento in memoriam paſſionis, & mortis domini. hæc Bellarminius. Et quia ſolutio perſpicua, & præſtantiſſima eſt, oportet ipſius propriis verbis hic à nobis adduci.

1. Cor. 11.

Sed vt plane conſtet S. Auguſtini ſententia, quod verba illa Domini Ioan. 6. carnali ſaltem modo, vt Capharnaitæ intellexerant, figurata ſit, non autem eo modo, quo nos illam explicuimus; vidẽdus idem Auguſtinus de verbis Euangelij, & refertur à venerabili Beda in collecta. cap. 101. & ita ait in illud: Calix benedictionis, &c. Quis huic conuiuio nos adhibuit? ipſe quidem dominus pueros ſuos inuitauit, & ſe ipſum cibum præparauit. Quis iam dominum ſuum manducare audet? Ait tamen: Qui me manducat, is viuet propter me. Cum Chriſtus

S. Aug. de verbis Euãgelij.

mãducatur, vita manducatur: non occiditur, vt mãducari poſſit, ſed mortuos viuificat, cum manducatur, reficit, non deficit. Ideoq. optimi fratres, panem hunc manducare non deterreamur, quaſi Dominum conſummemus, & deinde nihil reſidui ad manducandum ſuperſit: viuit manducatus, qui reſurrexit occiſus, cũq. manducemus, non fruſtulatim ſecatur, licet foris ita fiat. Nec fideles ignorant, quo modo Chriſti carnem comedant; quilibet ſuam partem accipit. Ideoq. Euchariſtia cum particula vocatur, per particulas manducatur: in ſe ipſo perfecte manens per particulas in Sacramento manducatur, & nihilominus in cœlis totus manet; totus in corde tuo manet. totus enim apud Patrem erat, cum in Virginem deflueret, & illam expleret, nec ab eo diſceſſit. Carnem induit, vt ab hominibus manducaretur, & totus apud Patrem manet, vt Angelos paſceret. hæc Auguſtinus.

Ex cuius verbis perſpicue conſtat, quæ carnem Chriſti manducandi ſit ratio, non vt Capharnaitæ ſomniabant, quaſi necandus, & diſtribuendus eſſet, ſed viuificans totus, & illibatus ab his acceptus, quibus in cibum datur, vitam æternam impertiatur.

Aug. li. 1. contra Iulianum.

Ad Illud vero Auguſtini lib. 1. contra Iulianum reſpondetur verum eſſe infantes manducare corpus Chriſti, quatenus fidei communicant; quia dum ſuſcipiunt baptiſmum, & illis in eo fides infunditur, Sacramentum Euchariſtiæ in voto ſuſcipiunt, vt dictum eſt. Vnde dum fidei communicant, ſuſcipiendo baptiſmum, dicuntur manducare carnem Chriſti propter votum Euchariſtiæ, quod ibi includitur.

Ad alios patres ibi in argumento citatos reſpondetur illos exponere S. Ioannem in ſenſu myſtico, vt manifeſte patet; non tamen negarunt iſta verba debere ad litteram accipi, & intelligi de Sacra-

mentali manducatione, vt patet ex alijs locis adductis S. Hieronymi, Baſilij magni, & S. Bernardi.

CONFUTATUR SENTENTIA *illorum, qui dicunt patres explicantes c. 6. S. Ioannis de manducatione Sacramentali debere intelligi per quandam accommodationem, & ſimul ad alia argumenta aduerſariorum reſpondetur, quibus finitur tota hæc diſputatio. Cap. XXIIII.*

AD illud, quod additur in hoc argumento, videlicet ſanctos Patres, qui à nobis adducti ſunt, cū de manducatione Sacramentali explicāt caput iſtud Ioan. 6. loqui per quandam accommodationem, & extēſionem, gratis videtur dictum; cum ipſi Doctores ſancti ſatis aperte loquantur, vt viſum eſt: nec mirum, quod in hac re confugiat doctiſſimus vir ad iſtum modum explicandi per accommodationem. nam &

in explicatione etiam ſacræ ſcripturæ iſtam accommodationem magni facit. Et licet aliquantulum ab inſtituto digredi videar; breuiter declarabo quis ſit iſte modus explicandi per accommodationem, vt facile intelligi poſſit, quantum ſit longe petita hæc ſolutio, quæ ab his auctoribus datur pro ſanctorum patrum explicatione, & quàm incongrue etiam ſacræ ſcripturæ interpretationi applicetur.

Ianſen. 1. p.concord. c.11. Pro quo notandum eſt; quod ait Ianſenius 1. p.concord. c. 11. ſuper illa verba Matt. 2. Vt adimpleretur, quod dictũ eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum. & eſt locus deſumptus eſt Oſeæ 11. cap. Ibi enim ait Ianſenius primo, quod cum multæ ſcripturæ duplicem habeant ſenſum, litteralem videlicet, & myſticum in litterali reconditum, quod litteralis tunc impleri dicitur, & cum id fit, quod per litteram ſignificatur, & cum fit etiam id, quod ex intenſione Spiritus ſancti per lit-

teram, & hiſtoriam myſtice ſignificatur. Sic Chriſto nato in Bethlehem, impleta eſt prophetia Michææ: Et tu Bethlehem, terra Iuda,&c. Quia quod ſecũdum vnicum, & litteralem ſenſum per illam perductum erat;iam opere erat exequutum, & completum. Sic illud 2. Reg. 7. Ego ero illi in Patrem, & ille erit mihi in filiũ: adimpletum eſt in Salomone, & in Chriſto rurſum per Salomonem præfiguratum. *2.Reg.7.*

Secundo dicit, quod alio modo ſcriptura impleri dicitur,cum fit, quod illa commemorat, etiam ſi id non fuit proprie ab auctore ſcripturæ intentum. Huiuſmodi eſt illud Matth. 15. Ait ſiquidem Chriſtus Phariſæis: Hypocritæ, recte de vobis dixit Eſaias: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Quamuis proprie non loquutus fuerit Eſaias,niſi de hypocritis ſui temporis; tamen quia etiam erant hypocritæ illi,cũ quibus Chriſtus loquebatur, non minus *Matth.15.*

dicitur impletum, ideſt verificatum. Vnde locus iſte Matthæi ſolum per quādam accommodationem dicitur de iſtis hypocritis, cum quibus Chriſtus loquebatur, in quibus eadem verba, quæ dixit Eſaias de hypocritis ſui temporis verificantur. qui tamen ſenſus ab auctore ſcripturæ, nec in ſenſu litterali, nec allegorico eſt intentus. Iſte igitur eſt modus loquendi Ianſenij per verificationem, & accommodationem, & eodem modo explicat illud
Matth.2. Matthæi. 2. Vox in Rama, &c. & cap. 18.
.18. Aperiam in parabolis os meum, &c. Et Auditu audietis, & non intelligetis, &c. Omnia enim hæc in tantum dicuntur adimpleri; quia verificantur. Atque ita ille
Oſeæ 11. locus Oſeæ. 11. quando ait Euangeliſta, vt adimpleretur, quod dictū eſt per prophetam: Ex Ægypto vocaui filium meū, dicit quod per quamdam applicationem de Chriſto verificatur, & vt ſe explicet, adducit exemplum valde prophanum, vt ſi quis verba faceret, inquit ipſe, de aliquo

patre mire ſolicito pro filio, diceret; videres patrem filij deſiderio non poſſe quieſcere, nihil aliud velle, omnia poſt habere, vt filium præſentem videret, vt adimpleretur in eo illud Virgilij: Omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis. Apertum enim eſt, quod nunquam Virgilius ſomniauit, quod hoc diceretur nunc de iſto patre mire ſolicito de ſuo filio; nihilominus tamen de iſto patre in tantum dicitur eſſe dictum, & in illo adimpleri: quia de illo verificantur hæc Virgilij verba. Id etiã amplius explicat ſuper illa verba: Vox in Rama audita. Hieremiæ 13. Vbi ſic ait, quod de his pueris, videlicet innocentibus hæc verba à Hieremia non ſunt dicta, neque ſecundum litteralem ſenſum, neque ſecundum myſticum. *Hier.* 13.

Sed hæc doctrina his exemplis accommodata viris doctis periculoſa viſa eſt; quia contra communem ſanctorum expoſitionem, qui tamẽ ſenſu litterali, & allegorico explicant has adductas aucto-

Oſeæ 11. ritates. Et ſuper illo. Oſeæ. 11. refert ipſe Ianſenius. S. Hieronymus idem tenet gloſſa ordinaria, quam commendat, & ſequitur Burgenſis in additione ſecunda huius capitis. Idem Theophilactus Matth. 2. & *Matth. 2.* ibidem S. Thomas, & Titelmānus in paraphraſibus Matthæi, & Caietanus, & Hugo Cardinalis, & Rupertus, Oſeæ. 11. Idē Arias Montanus Oſeæ. 11. & Paulus de Palatios ſuper eodem cap. Vbi ait, quod altiſsime hanc prophetiam Euangeliſta intelligit de Chriſto. Idem etiam tenet ſuper iſto c. Oſeæ Pater Ribera Societatis *P. Ribera n. 13.* IESV nu. 13. Qui aſſerit hanc Ianſenij ſententiam eſſe nimis periculoſam, & quod, vt ſibi videtur, pietas fidei nullo modo id dici ſinat. Et quantum ad illum locum attinet: Ex Ægypto vocauit filium meum: vniuerſis patribus omnibuſq.; expoſitoribus aduerſatur, immo & ipſi Iudæi hunc locum de Chriſto intellexerūt, vt probat Galatinus, lib. 8. contra Iudæos *Galat. l. 8. contra Iudæos c. 4.* c. 4. & quod attinet ad illum locum, qui

eſt in Matthæo. c. 15. deſumptum ex Eſaia.c.29.in ipſius explicatione, vel Ianſenius ſibi ipſi eſt contrarius, vel ſe retractat.nam in c. 60. Concordiæ, ſuper illa verba:Ipſe autem reſpondens ait illis;Verſans hunc Eſaiæ locum,ſic ait:Itaque bene dixit Dominus non ſolum iſtud Eſaiæ quadrare in Phariſæos,& Scribas,qui fuerunt tempore hoc, ſed Eſaiam prophetaſſe de illis, iſtud videlicet, quia non dixit illud de Iudæis ſui temporis, ſed potius de temporibus aduentus Meſſiæ, quando omnia plena erãt hypocriſi, &c. De illo autem Hieremiæ c.31. allegorico S.Anſelmus,& Caietanus,ibi inſuper, & S.Auguſtinus explicans,quid ſit ſenſus allegoricus, ponit exemplum in iſto loco, vt eſt videre apud Sixtum Senenſem lib. 3. Bibliothecæ ſanctæ, titulo de duobus ſacrarum expoſitionum generibus, folio 156.& fol. 164.

Matt. 15. *Eſa.* 29.

*Hier.c.*31.

*Sixt. Senen.lib.*3. *Biblioth. tit.de duobus Sacr. expoſit.gener. fol.* 156. *&* 164.

Hæc eo adduxi, vt intelligatur, quam ſit inſufficiens modus iſte explicandi per

ac-

accommodationem, & verificationem; & certe in his locis ſcripturæ, vt dictum eſt, talis explicatio non poteſt ſuſtineri, nec etiam in explicatione ſanctorum, qui à nobis adducti ſunt; quia clare & aperte loquuntur de altiſſimo myſterio, & venerabili Euchariſtiæ Sacramento, dum explicant cap. 6. S. Ioannis, vel vtuntur eiuſdē Capitis auctoritatibus ad dogmata comprobanda. Et maior pars Doctorum præallegatorum ſcripſerunt Commentaria in S. Ioannem, vel diſputationes, in quibus litteralis ſenſus exprimi debet. non autem eſt recurrendum ad ſenſus myſticos, & iſtas accommodationes. & certe ſi ita licet explicare patres in hoc 6. c. Ioannis, cur etiam non licebit idem facere cū
Ioan. 3. explicant illud Ioannis 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c. Tunc etiam poterimus dicere patres accommodaſſe hunc locum ad Baptiſmum quod falſiſſimum eſt. Et hæc ſufficiant de iſto argumento.

Ad ſextum argumentum facilis eſt reſponſio. Nam licet verum ſit, quod hoc Sacramentum, cum dominus loquebatur Ioan. 6. nondum fuerat inſtitutum; nihilominus tamen oportuit de re iſta difficillima, & ſacratiſſimo myſterio prius Chriſtum Dominum longam orationem habere, vt diſcipulorum animi ad rem iſtam valde reconditam intelligendam, & digna veneratione, proſequendam, eſſent ſingulari ſtudio affecti. Quod ſæpius feciſſe Dominum comprobauimus, vt patet in baptiſmo, Reſurrectione, Aſcenſione, &c. Vt cum factum fuerit credatis, vt dicitur Ioannis 13. Quare argumentum nullam habet vim. *Ioan. 6.* *Ioan. 13.*

Ad ſeptimum argumentum reſpondetur, quod ſolum probat Ioannis 6. nõ eſſe inſtitutum hoc Sacramentum, quod nos concedimus; ſed non probat ibi non eſſe promiſſum. Satis enim eſt ad hoc, quod vere poſſit dici promiſsũ, quod dominus pollicitus fuerit carnem ſuam, & ſangui- *Ioan. 6.*

accommodationem,& verificationem; & certe in his locis ſcripturæ, vt dictum eſt, talis explicatio non poteſt ſuſtineri, nec etiam in explicatione ſanctorum, qui à nobis adducti ſunt; quia clare & aperte loquuntur de altiſſimo myſterio, & venerabili Euchariſtiæ Sacramento, dum explicant cap. 6. S. Ioannis, vel vtuntur eiuſdē Capitis auctoritatibus ad dogmata comprobanda. Et maior pars Doctorum præallegatorum ſcripſerunt Commentaria in S. Ioannem, vel diſputationes, in quibus litteralis ſenſus exprimi debet. non autem eſt recurrendum ad ſenſus myſticos, & iſtas accommodationes. & certe ſi ita licet explicare patres in hoc 6. c. Ioannis, cur etiam non licebit idem facere cū explicant illud Ioannis 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c. Tunc etiam poterimus dicere patres accommodaſſe hunc locum ad Baptiſmum quod falſiſſimum eſt. Et hæc ſufficiant de iſto argumento.

Ioan. 3.

Ad ſextum argumentum facilis eſt reſponſio. Nam licet verum ſit, quod hoc Sacramentum, cum dominus loquebatur Ioan. 6. nondum fuerat inſtitutum; nihilominus tamen oportuit de re iſta difficillima, & ſacratiſſimo myſterio prius Chriſtum Dominum longam orationem habere, vt diſcipulorum animi ad rem iſtam valde reconditam intelligendam, & digna veneratione, proſequendam, eſſent ſingulari ſtudio affecti. Quod ſæpius feciſſe Dominum comprobauimus, vt patet in baptiſmo, Reſurrectione, Aſcenſione, &c. Vt cum factum fuerit credatis, vt dicitur Ioannis 13. Quare argumentum nullam habet vim. *Ioan. 6.* *Ioan. 13.*

Ad ſeptimum argumentum reſpondetur, quod ſolum probat Ioannis 6. nō eſſe inſtitutum hoc Sacramentum, quod nos concedimus; ſed non probat ibi non eſſe promiſſum. Satis enim eſt ad hoc, quod *Ioan. 6.*

nem. Et Dominus etiam hoc ſymbolum, & myſterium expreſſit, & ſuæ paſſionis ſignificationem, cum ſeparauit carnem à ſanguine, & illam cibum, hunc potum appellauit, vt indicaret ſub ſpecie panis ſacratiſſimam ſuam carnem eſſe edendam, & ſub ſpecie vini eius ſanguinem.

Quod autem hoc diuinum Sacramẽtum fuerit pridie paſſionis inſtitutum, & hæc quæ in c. 6. Ioannis traduntur vno anno ante fuerint à Chriſto Domino declarata, nihil contra nos faciunt. Nam ex hoc ſolum ſequitur, quod vno anno integro ante paſſionem, & inſtitutionem huius diuini Sacramenti hoc ſacrum myſterium fuerit promiſſum, quod nos concedimus. Idq. in alijs multis rebus, vt antea inſinuabamus, dominus fecit. & aperte conſtat ex illo, quod fecit Dominus Matth. 6. Claues enim regni cælorum Petro promiſſit, & quam vim eſſent habituræ primo declarauit; eas tamẽ non
Ioan. 21. tradidit Petro, niſi Ioan. 21. poſt ſuam

ſanctam Reſurrectionem. & ſic manet ſolutum hoc argumentum.

Ad vltimum denique reſpondetur retorquendo argumentationem: & ratio deſumpta eſt ex Catherino in Caietanũ. „ Nam quoties noua aliqua affertur opi- „ nio, vel expoſitio, quam non probat Ec- „ cleſia, ſancti Doctores non norunt; & „ quæ quæſtiones, ac difficultates non diri- „ mit, ſed auget; denique quæ hæreticorũ „ dogmatibus etiam fauet: procul dubio „ illa reſpuenda eſt, & illi oppoſita eſt am- „ plectenda, cui e conuerſo cuncta conſo- „ nant. hæc Catherinus. Quaſi dicat hanc noſtram explicationem, qua c. 6. Ioannis de manducatione Sacramentali declaramus, eſſe omnino tenendã, illam ve- „ ro aliam, quæ ſpiritualiter explicat, tamquam Sanctis Patribus contrariam, & quæ hæreticorum dogmatibus fauet, omnino eſſe reijciendam. Ex cuius Catheri-

animo ita acri cenſura contra eos celebres viros agere, qui contrariam opinionem tuentur, ſi forte, quod aperte contra dicit veritati, vllo modo opinio dici poſſit. Illa tamen, quæ hactenus à nobis explicata eſt ſententia, veritati conſona eſt, & Cōciliorum, & Patrum expoſitionibus; ita vt exiſtimarem contrariam nullo modo defendi debere; ſed tamquā falſiſſimā, ne dicam temerariam, eſſe omnino reijciendam à Catholicorū ſchola.

Sed nō deſunt auctores contrariæ opinionis etiā dānare noſtrā luce meridiana clariorē ſententiā, & Ianſenius ita dicit in illa verba: Niſi manducaueritis, &c. Sed ad rem, cum vel non Catholice, vel non ſatis commode locus iſte intelligi poſſit de manducatione Sacramentali, nec ille ſit proprius ſcripturæ, quo Auguſtinus hunc locum intelligit de carne Chriſti myſtica; reſtat ſolum hunc locum conuenientiſſime intelligi de manducatione ſpirituali, quæ eſt per fidem in carnem

traditam in Cruce & ſanguinem effuſum pro nobis. ſed huius Sapientiſſimi Doctoris cenſura, pace ſua dixerim, falſiſſima eſt, quatenus omnino ab illis verbis Chriſti domini excludit ſenſum de Sacramentali ſumptione, & quæ in illius libro eſſet, vt talis notanda. Atque de his ſatis hæc dicta ſufficiant.

Et iam multis vltro citroq. in hac controuerſiam adductis, vt potuimus ingenij noſtri tenuitate, licebit finem imponere noſtræ huic prolixæ diſputationi. vtinam ſuſceptus hic noſter labor ſit ad gloriam omnipotentis Dei, nec non B. & Glorioſæ Virginis Mariæ, Sanctiq. Michaelis Archangeli, S. Iacobi, & S. Ioannis Euāgeliſtæ, quos mihi patronos, & aduocatos ſuſcepi, ſintq. omnia dicta ſub correctione ſacroſanctæ matris Eccleſiæ, ſub cuius cenſura omnia eſſe à nobis dicta volumus: & vtinam etiam hæc noſtra diſpu-

& Spiritus ſancti, cui laus, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS.

REGESTVM.

*a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh.

Omnes ſunt folia.

Pagina.	Linea.	Errata.	ſic corrige.
Pagina 9.	Linea 1.	deuotorum,	deuotarum.
	ibid.	orationem,	orationum.
pag. 17.	lin. 1.	ſecunda,	prima.
pag. 24.	lin. 12.	q 90.	80.
pag. 30.	lin. 6.	qua,	quo.
pag. 33.	lin. 12.	&c.	Ergo.
pag. 37.	lin. 2.	tuſuri,	fuſuri.
ibidem 4.		ſpecialiter,	ſpiritualiter.
pag. 38.	lin. 3.	vulnerata,	vulnerata ſit.
pag. 62.	lin. 16.	Baſilius,	Baſilij.
pag. 73.	lin. 4.	quæ,	quod
pag. 85.	lin. 16.	factus,	ſatus.
pag. 95.	lin. 4.	propter,	proſper.
ibidem 18.		q. 77. q. 79. & deficit q. 80. art. 11.	
pag. 108.	lin. 5.	quia,	quā,
pag. 114.	lin. 6.	&,	vt.
pag. 128.	lin. 18.	aliter,	alteri.
ibidem 19.		promiſerit,	permiſerit.
ibidem 20.		Spiritum,	ſpiritu.
pag. 130.	lin. 2.	preſeruaretur,	præſeruarentur.
pag. 132.	lin. 6.	ſumma,	ſententia.
pag. 133.	lin. 1.	quia,	qua.
ibidem 11.		Hæreticarum,	Hæreticorum.
pag. 137.	lin. 7.	vtrique,	vtriuſque.
pag. 139.	lin. 2.	poſita,	poſita eſt.
pag. 141.	lin. 6.	cibi, ſit coma &. guinem.	adiungatur & ſan-
pag. 142.	lin. 15.	cauetur.	Caietanus.
ibidem 21.		ſeſſ. 12.	13.
pag. 145.	lin. 7.	Exiſtimari.	Exiſtimare
pag. 146.	lin. 12.	ſcilicet	ſicut.
ibidem 20.		eius	cuius
pag. 149.	lin. 7.	formata	firmata.
pag. 151.	lin. 8.	actionem,	lectionem.
ibidem		ampleſtatur	[illegible]

pag.168.	lin.12.	nouus,	viuus.
pag.169.	lin.1.	aqua,	aquam.
ibidem 2.		& quo,	ex quo.
pag.174.	lin.13.	clericari,	clericali
ibidem 18.		Silicium	Syricium.
pag.176.	lin.penultima, quod ſtatuit: defficit. hoc. concilium, trident. ſeſſ.21 c.1. iam citato & canone 1. vbi ita deffinit.		
pag.184.	lin.21.	Hæc,	nec.
pag.187.	lin.10.	Sacramentaliter vero ſimul. ſacramentaliter & ſpiritualiter ſimul.	
pag.181.	lin.4.	ſic ait, ſic ait, ſi quis dixerit.	
pag.203.	lin.18.	in corpore,	incorporare.
pag.204.	lin.penult.	vt,	&.
pag.210.	lin.16.	tractauimus,	tranquimus.
pag.226.	lin.11.	tageret,	tangeret.
pag.234.	lin.vltima	intenſione,	intentione.
pag.238.	lin.2.	S.Hieronymus,	S. Hieronymum.
pag.239.	lin.14.	c. 31.	c.21. in ſenſu.